BENEDICTI PERERII VALENTINI

E Societate Jesv.

ADVERSVS FALLACES ET SVPERSTITIOSAS ARTES,

ID EST,

DE MAGIA, DE OBSERVATIONE SOMniorum, &, De Diuinatione Astrologica.

LIBRI TRES.

Cartusiæ Buxheim.

BIBL. BUXHEIM.

Cum gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

INGOLSTADII,

Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.

Anno M. D. XCI.

CAMILLO CAETANO PATRIARCHAE ALEXANDRINO

BENEDICTVS PERERIVS S. D.

TRIA SVNT GENERA RERUM, CAMILLE Patriarcha illustrissime, in quarum studio & obseruatione mortalium animi vesana quadam libidine vel potius rabie noscendi quæ futura sunt, fœdis & noxijs illuduntur fallacijs atque impijs erroribus illigantur: Somnia, & natalitia Astrologorum Prædicta, atque Artes Magicæ. Neque verò earum rerũ pestilens vis, priuatos tantum aut singulos homines, verum etiam Principes ac Reges ipsasq; ciuitates & Respublicas inuasit, infecit, ac perdidit. Ac licet has generis humani pestes omnibus ferè secu-

lis tum ſapientes viri firmiſſimis rationibus profligare, tum prudentes Rerum publicarum rectores ac principes ſeueriſſimis damnatas edictis & atrociſſimis pœnis addictas, è ſocietate hominum exterminare flagrantiſſimè cupiuerunt, obnixeq; contenderunt: perparum tamen ad huc profectum eſt. Adeo enim malum hoc in animis hominum hæret infixum, vt penitus extrahi vix queat, nec eius ſanandi potens atque efficax vllum iam remedium inueniri poſſe credatur. Itaque hic vſu venit quod de Mathematicis ſcite quidam vereq; dixit: Genus hominum, inquit, potentibus infidum, ſperantibus fallax: quod in ciuitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur. Sed nihilominùs tamen mihi quidem valde vtiliter ac ſalutariter feciſſe viſi ſunt, qui doctis aduerſus eas artes editis libris, vanam & fallacem ac perniciosam eſſe hominum generi, nimis curioſam & ſuperſtitioſam earum rerum obſeruationem apertè demonſtrarunt. Quorum ego prudens conſilium, piumq; ſtudium, atque vtilem conatum æmulatus, tres aduerſus eas artes libros confeci, vnum de Magia; alterum de

Tacitus hiſtoriarū lib. 1.

Obſer-

Obſeruatione ſomniorum; tertium de Diuinatione aſtrologica. Ac primus quidem liber planè nouus eſt fœtus, nunc primum lucem aſpiciens: quæ reliquis autem duobus libris diſputantur, ea ferè ſunt in Commentarijs noſtris partim in Danielem, partim in Geneſim explicata. Sed quia non pauci eos Commentarios non legent, aut quod eos propter ſtudiorum diuerſitatem non iuuat legere, aut quia non vacat propter occupationes, putaui me pergratum plurimis facturum, ſi, quo latius horum librorum pateat vtilitas, ſeparatim eas diſputationes, atque vnum in volumen, idq; modicum incluſas, typis excudendas curarem: ratus ſcilicet fore, vt eas ipſas diſputationes, tum propter exquiſitam multisque optatam eiuſmodi rerum cognitionem, tum etiam propter paruitatem commoditatemque voluminis, & plures, & auidius atque vtilius legant. Has ego lucubratiunculas apparere volui ſub tuo nomine CAMILLE *Præſul ornatiſſime: quem omnes qui norunt, non poſſunt non amare propter ſingularem ingenij ac morum ſuauitatem; & quod vera animi bona cum ampliſſimis*

naturæ ac fortunæ bonis adæquasti, admirari & obseruare coguntur. Video sanè perexiguum esse munus, nec dignum tuæ nobilitatis ac dignitatis amplitudine: sed est tamen amoris & obseruantiæ plenissimum; & quãti ego te faciam, quantumqúe Caetanam familiam colat societas nostra, certissimum testimonium.

BENE.

BENEDICTI PERERII LIBER PRIMVS qui est DE MAGIA.

DVPLICEM esse Magiam hic liber ostendit; alteram quidē Naturalem & veram, ex occultis rerum naturis & virtutibus profectam, intimamq; ac præstantissimam Philosophiæ partem, & admirandorum effectricem operum, ab omniq; alienam superstitione, & à Dæmonum artificio ac maleficio puram; sed pauciſsimis tamen mortalium exploratè perceptam: Alteram verò (quæ vulgo iactatur & celebratur) ab omni ratione ac veritate vacuam, fallacem item & noxiam, Dæmonumq; fraudibus & maleficijs implicatam, ob idq; meritò infamem & abominabilem, & è societate hominum exterminandam. Hinc præterea cognoscet lector quatenus vtraque Magia progredi, & qualia quantavé opera possit facere, & an mira quæ videtur facere posterior Magia, verè talia sint, qualia spectantibus videntur, an verò præstricta oculorum acie, spectantium fallant existimationem, nec veram habeant earum rerum quas repræsentant vim & naturam.

ſed nudas tantùm atque inanes earum rerum ſimilitudines & imagines ferant: Denique quæ videntur & vulgo creduntur Magorum miracula, quibus rebus differant à veris miraculis, quibuſué notis & ſignis facilè diiudicari & internoſci queant. Libuit autem ante ipſum operis veſtibulum, velut in conſpectu lectoris ponere generales ſententias & capita diſputationum quæ hîc tractantur, quò ſcilicet cupidius ille, huius libri lectionem adeat, & ex ipſa lectione eam capiat vtilitatem, cuius ei afferendæ vtilitatis flagrans deſiderium, nec dubia ſpes, ad huius nos voluminis ſcriptionem impulit.

INDEX CAPITVM ET DISPVTATIONVM LIBRI PRIMI, QVI EST DE Magia.

PRIMA.

I. *An omnia quæ feruntur à Magis facta, ſint vel ab illis, vel ab alijs conficta.*

II. *An omnes effectus Magiæ reuera tales ſint quales videntur.*

III. *An ſit aliqua Magia naturalis, & quæ aut qualis ea ſit, & vnde eam homines diſcant.*

IV. *An ſit aliqua Magia non naturalis, & Damonum magiſterio atque artificio hominibus tradita.*

V. *An ſpiritus illi, quorum magiſterio & auxilio mira faciunt Magi, ſint boni an mali.*

VI. *Quæ opera admiranda poſſint Dæmones, aut per ſeipſos, aut per Magos facere.*

VII. *Quæ*

VII. *Quas res Damon nec per ſe, nec per Magos poſſit efficere.*

VIII. *An opera Magorũ ſint verè miracula, & quemadmodum à veris miraculis differant & internoſci queant.*

IX *Quotuplex ſit Magia, & primo de Magia Aſtronomica.*

X. *De Arte Cabaliſtica.*

XI. *De Necromantica, id eſt, Mortuorum ex Inferis ad viuorum conſpectum & colloquia euocatione.*

XII. *An per artem magicam poſſit verum aurum fieri ab Alchimiſtis.*

XIII. *De origine Magiæ, & his qui in ea clari ac nobiles fuerunt.*

XIV. *An Magiæ ſtudium & vſus ſit licitus.*

XV. *De Magis Pharaonis, quorum mentio fit in libro Exodi: & qui nominatim fuerunt illi qui reſtiterunt Moſi.*

XVI. *An prodigia quæ Magi Pharaonis fecerunt, reuera fuerint talia, qualia videbantur, nec ne.*

XVII. *Qua ratione & artificio, prodigia illa fuerint à Magis facta.*

CAPVT PRIMVM.

AN QVAE A MAGIS FACTA ESSE vel ſermonibus vulgi ferũtur, vel à ſcriptoribus mandata ſunt litteris, omnia ſint fabuloſa, ficta & falſa; an verò aliqua fuerint, vti narrantur, verè ab illis geſta.

NON EST DVBIVM QVIN EORVM QVAE de Magis aut dicuntur aut ſcribuntur, quamplurima ſint ficta & falſa: nam plerique hominum nimis ſunt credulí & ſuperſtitioſi, & rebus admirandis facile capiuntur; cum etiam docti viri & Philoſophi, vt inquit Ariſtoteles, quoniam fabula continet aliquid nouum & mirabile, fabulis oblectentur. Quis enim non videt, quæ Ouidius narrat in libris Metamorphoſeos, omnia ficta eſſe à Poëtis, ſicut illa de Circe & Medea; & de ſocijs Diomedis in aues conuerſis quæ longo poſt tempore circa templum Diomedis volitabant; de ſocijs Vlyſsis, quos Circe mutauit in beſtias; de Arcadibus qui traiecto quodam ſtagno vertebantur in lupos; de ſocero Medeę, quem illa à ſenectute ad iuuentutẽ reuocauit; de draconibus, quibus ſimul iunctis Medea volauit per aëra, & de alijs id genus fabulis, quas Poëtæ cum ad oblectationem legentium, tum ad myſticam hominum eruditionem adinuenerunt? Negari tamen non poteſt multa miratu digniſsima verè à Magis eſſe facta. Nam ſcriptura in Exodo commemorat opera Magorum Pharaonis, & 1. Reg. cap. 28. ſcribitur de Phitoniſſa quæ ſuſcitauit Samue-

Ariſt. lib 1. Metaphyſ.

Exod. 7.

Samuelem, & Pſalmo 57. de venefico incantante ſapienter aſpidem, ob id obturantem aures ſuas: & Matth. 24. *Surgent, inquit Dominus, pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna & prodigia* non vtique alia arte quàm magica. Ex hiſtorijs Eccleſiaſticis notum eſt quæ opera admiranda Simon Magus ediderit magicis incantationibus: quãobrem (vt fertur) à Romanis publicam ſtatuam meruit hac inſcriptione: SIMONI DEO SANCTO: vt narrat Iuſtinus martyr in Apologetico, Irenæus libro primo contra Valentinum, Tertullianus in Apologetico, Euſebius libro ſecundo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Propter quæ prodigia idem Simon tanta in admiratione fuit apud Samaritas, vt quemadmodum Lucas ſcribit in Actis Apoſtolorũ capite octauo, de illo diceretur: *Hæc eſt virtus Dei quæ vocatur magna.* Narrat beatus Hieronymus in vita Hilarionis, cum quidam iuuenis virginem DEO ſacram ad turpes amores illicere nulla ratione potuiſſet; eum ad magicas artes conuerſum, quas apud Memphin Ægypti didicerat, adeo illis profeciſſe, vt virgo inſano illius iuuenis amore fureret. Porrò quæ de Strygibus vulgo circumferuntur, non ſunt in totum falſa, ſed multa illis admiranda accidere, qui ea compererunt, viri fide digni, ſicut Syluester in opere ſuo de Strygibus, & Alphonſus de Caſtro in eo quod ſcripſit de Punitione hæreticorum, non illi quidem tanquam dubia & incerta, ſed tanquam ſibi notiſsima & exploratiſsima tradiderunt.

Iuſtinus martyr.
Irenæus.
Tertullianus.
Euſebius.

MIRA ſunt quæ Philoſtratus in libris De vita Apol- *Mira opera Magorum*

ex Philostrato.

ta Apollonij memorat vel Brachmanas Indorum, vel Gymnosophistas Æthiopū, vel ipsum Apollonium gessisse. Tale est illud quod is narrat libro tertio & capite tertio, vidisse Apollonium apud Indos gemina dolia, vnū imbrium, alterum ventorum; illud, cum nimia siccitate India premebatur, apertum nebulas emittebat vniuersam illam terram humectantes: nimios autem imbres occlusum cohibebat: alterum adapertum efflabat ventos regionem perflantes, quò salubrius esset cœlum. Tale etiam est illud quod ab eodem proditur libro tertio, capite octauo, cum Apollonius cum Iarcha & alijs Brachmanis mensæ accubuisset, tripodes lapideos sua sponte fuisse motos, & ab æreis pincernis calices in gyrum circumlatos esse, certa mensura vinum & aquam miscentes & cyathos proferentes. Nec sileri debet quod Philostratus libro quarto, capite decimosexto scribit de puella quæ tanquam mortua portabatur ad sepulchrum: cuius funeri occurrens in via Apollonius, tanquam secreto quædam illi admurmurans & insusurrans, ad vitam & integram valetudinē reuocauit. Nec minus mirabile est quod idem auctor narrat libro sexto, capite tertio de statua Memnonis, quam cùm radius solis circa eius exortum attingebat, & ad os eius perueniebat, statua more hominum loquebatur. His adde quod ab eodem memoratur eiusdem libri sexti capite quinto, iussu Vespesionis, qui princeps erat gymnosophistarū, apud Æthiopes, vlmum quandam voce quidē clara & distincta, sed tenui admodum & quasi fœminea salutasse

Apol-

Apollonium. Sed illud miratu digniſsimum, quod Philoſtratus tradit capite ſecundo, libri octaui, Apollonium cùm eſſet in prætorio Domitiani Imperatoris, vt putabatur, ab eo condemnandus, repente ex omnium oculis euanuiſſe. Quamobrem tanto in honore fuit Apollonius apud poſteros, vt eum Hierocles cum CHRISTO Domino noſtro conferre auſus fuerit. Sed eius audaciam fregit, inſaniamq; coarguit Euſebius Cæſarienſis: Alexander autem Mammeas Imperator Romanorum in ſuo Larario imagines CHRISTI, Abrahæ & Apollonij habebat, quòd hoc tres maximè omnium miraretur & coleret.

Euſebius in libro cõtra Hieroclem.

VERVM, ſicut à principio dixi, eorum quæ Magi feciſſe dicuntur, quamplurima falſa ſunt vel ab ipſis vel ab alijs conficta, & ſuperſtitioſis nimiumq; credulis hominibus perſuaſa. Quis enim vera concedat quæ Maga illa apud Virgilium libro quarto Æneidos promiſiſſe dicitur:

Hæc ſe carminibus promiſit ſoluere mentes
Quas velit; aſt alijs duras imittere curas,
Siſtere aquam fluuijs, & vertere ſidera retro,
Nocturnosq; ciere manes, mugire videbis
Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos.

Plinio nulla eſt Magia.

Quocirca Plinius nullam eſſe putauit Magiæ vim atque poteſtatem, & quæ de Magis feruntur, omnia eſſe vana falſaq; : totamq; Magiam reijcit & damnat. Nam libro 30. capite 2. Immenſum, inquit, & indubitatum exemplum eſt falſæ artis quam dereliquit Nero. Non enim ad eam diſcendam Neroni defuit vel ingenium,

vel

vel diligẽtia, vel quęlibet facultas, nec ſtudium cum eius diſcẽdæ auidiſsimus eſſet: quin etiam ad eam docendam Tyridates Armeniorum rex nobiliſsimos Magos ſecum ducens venit ad eum, cænisq; magicis eum initiauit: ſed is regnũ quidem à Nerone accepit; Magiam autem quæ nulla eſt, docere eum non potuit. Proinde ita perſuaſum ſit, inteſtabilem, irritam, inanem eſſe, habentem tamen quaſdam veritatis vmbras, ſed in his veneficas artes pollere, non magicas. Hæc Plinius. Cui vt concedo plurima Magorũ eſſe vana & falſa; ita eſſe talia omnia non aſſentior. Eſſe autem pleraque Magorum promiſſa non ſolum inania & falſa, ſed etiam incredibilia & ridicula, demonſtrat Plinius lib. 26. cap. 4. his exemplis; Magi aiũt Æthiopide herba amnes ac ſtagna ſiccari: coniectu, tactu, clauſa omnia aperiri: Achimenide coniecta in aciem hoſtiũ, trepidare agmina, ac terga vertere: Latacẽ dari ſolitam à Perſarũ rege Legatis, vt quocunq; veniſſent, omnium rerũ copia abundarẽt. Apud Democritum inuenitur compoſitio medicamenti, quo pulchri, boniq; & fortunati gignãtur liberi. Et lib. 25. cap. 9. Circa herbam, inquit, quã noſtri Verbenacã vocant, Magi mire inſaniũt: hac perunctos impetrare q̃ velint, febres abigere, amicitias cõciliare, nulliq; non morbo mederi. Lege apud Aul. Gelliũ lib. 10. cap. 12. & apud Plinium lib. 28. cap. 1. quæ fabulantur Magi de Chamaleõte tradita à Democrito magicę artis principe, qui, quo tempore Hippocrates medicinã, eodem magicas artes in Græcia celebrauit, hoc eſt, circa bellum Peloponneſiacum, anno poſt Romam

Figmenta Magorum Plinio.

Aul. Gellius. Plinius.

Romam conditam trecenteſimo : vt auctor eſt Plinius lib. 30. cap. 1.

CAPVT II

AN OMNES EFFECTVS MAGIAE ſint ſimulati & tantùm apparentes, hoc eſt, non tales reuera quales videntur ; an verò ſint aliqui eius effectus etiam veri & naturales, nempe tales reuera quales videntur.

NONNVLLOS effectus Magorum naturales & veros eſſe, tum ex ſacris literis, tum ex alijs probatis hiſtorijs compertum eſt. Nam opera Magorum Pharaonis vera fuiſſe, ſatis indicat ſcriptura cap. 7. Exodi ; itaq; ſentiunt Origenes & Auguſtinus. Id quoque declarat Samuel à Phitoniſſa ſuſcitatus; quem fuiſſe verũ Samuelem, licet nonnulli in dubium verterint, tamen auctor libri Eccleſiaſtici cap. 46. nos dubitare non ſinit. Ad hæc Dominus noſter ait venturos pſeudoprophetas tempore Antichriſti, qui faciant prodigia & portenta magna : quæ S. Paulus vocat mendacia, non quod omnia per ſe & ſua natura ſint futura falſa; ſed quòd fiẽt ad perſuadendum falſum, & ad decipiendos homines, & quòd putabuntur eſſe vera miracula, hoc eſt, ſupernaturalia opera, cum non ſint talia. Nónne DEVS Deuteronom. 13. denunciat venturos pſeudoprophetas prędicentes futurum aliquod portentum, quod ita veniet, vt ab illis fuerat prædi-

Matth. 24.

2. Theſſ. 2.

prædictum ? Dæmones item naturali ſolertia, quæ ſumma illis eſt, & ſcientia cunctarum rerum naturalium quam propter peccatum non amiſerunt; deniq; longiſsimi temporis experientia qua pollent, occultas & admirandas rerum facultates & virtutes, ipſarumq; rerum inter ſe vel ſympathiam vel antipathiam, & quemadmodum inuicem applicari & temperari debeant, quò mirabiles & inuſitatos effectus producant, optimè norunt, & per Magos miniſtros ſuos præſtare poſſunt. Atque hæc eſt doctrina B. Auguſtini in lib. 3. de Trinitate, cap. 7. & 8. in libro Octogintatrium quæſtionum, quæſt 79. & in quæſtione 22. in Exodum, à Chriſtianis Philoſophis iuxta & Scholaſticis Theologis recepta. Neque poſſumus negare (ſunt enim multis Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus prodita) duarum Romanarum mulierum duo facta perquã memorabilia. Cum enim mater deorum ex Peſsimunte Phrygiæ, naui adueheretur Romam; ita dicitur hæſiſſe in Tiberi, vt non hominum, non boum ví moueri loco poſſet. Q. Claudia veſtalis quò ſuam caſtitatem probaret, diſcinxit ſe, zonamq; naui alligans, eam quo volebat, deduxit. Thucia quoque veſtalis quò ſuam etiã probaret pudicitiam, aquam Tiberi hauſtam cribro tulit vſq; ad capitolium, anno vrbis conditæ ſexcenteſimonono, vt tradit Plinius lib. 28. cap. 2. Nec poſſumus inficiari opera Magorum, homines fœminaſué inflammari ad libidines, & ad amores antè exoſos: cuius rei exemplum affert S. Hieronymus in vita Hilarionis à nobis ſupra commemoratum. Quanquã duo illa quæ virgi-

virgines illas veſtales egiſſe diximus, pũtat S. Thomas in Quæſtionibus de Potentia, quæſt. 6. art. 5. etiam miniſterio bonorum Angelorum, DEO ſic volente, caſtitatis virtutem & præſtantiam commendare & probare hominibus, fieri potuiſſe. *Notabilis ſententia B. Thomæ*

CETERVM plurima Magorum opera eſſe ſimulata, fallentia oculos ſpectantiũ, nudamq; tantùm eorum quæ repræſentant imaginem, non autem veram naturam habentia, multi tradiderunt atq; compererunt; & ego facile credo. Tales fuerunt (ſi tamen fuerunt) admirãdę metamorphoſes, quas à Varrone proditas commemorat B. Auguſtinus lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 17. & 18. de ſocijs Vlyſsis à Circe mutatis in varias beſtias, de ſocijs Diomedis in aues conuerſis, de Arcadibus traiecto quodam ſtagno tranſformatis in Lupos, de ſtabularijs quibuſdã mulieribus, quas narrat B. Auguſtinus ſuo tempore in Italia viatores quibus caſeum dabant veneficijs imbutum, mutare ſolitas in iumenta, eorumq; opera ad portanda onera aliquandiu vſas, rurſus in priſtinas hominum figuras reformaſſe.

Tale quoque fuit quod Philoſtratus lib. 4. capite 5. tradit accidiſſe Apollonio: erat enim quædam lamia quæ ſpeciem gerẽs pulchrę mulieris, ſimulabat ſe captam amore cuiuſdam Menippi iuuenis formoſi, ei velle nubere. Die igitur nuptijs dicato mulier illa conuiuium apparauit lautiſsimum, maxima auri, argenti, ornamentorum, omnis generis vini & dapum copia inſtructiſsimum, quo cum ingreſſus eſſet Apol- *Lamiarũ ingenium & libido.*

lonius, ad eos qui aderant conuerſus, inquit: Tantali hortos videtis, qui ſicut Homerus ſcribit, apparebant eſſe aliquid, cùm nihil tamen eſſent: talem enim eſſe hunc omnem apparatum exiſtimare debetis: neque enim quæ apparet materia, vlla ſubeſt, ſed materiæ duntaxat ſimulachrum eſt & imago. Hæc autem ſponſa, vna eſt è numero lamiarum, quas aliqui laruas, aliqui lemures appellant. Sunt autem ad amorem & venerem pronæ, & humanas carnes vehementer expetunt, venereorum cupidine allicientes eos quos cupiunt poſtea deuorare. Atque his dictis totus ille apparatus èx oculis omnium euanuit: & illa mulier ſeſe Lamiam eſſe confeſſa eſt, & voluiſſe Menippum voluptatibus explere, vt eius poſtea corpus deuoraret: conſueuiſſe enim pulchrorum iuuenum corporibus veſci, vbi ad ſummam ſanguinis abundantiam peruenirent. Non ſunt admodum diſſimilia quæ 26. quæſt. 5. cap. Epiſcopi, de nonnullis ſtrygibus narrantur, quas dæmones deluſa eárum imaginatione credere faciebant, longa terrarum ſpatia per aëra equitando conficere, & cum Diana & Herodiade in amœniſsimis locis iucundiſsimè epulari & ludere; cum neque verè transferrentur, neque perſonis, quibus credebant, adeſſent, ſed tantùm imaginationum ludificatione.

Hoc etiam euidentiſsimis rationibus probari poteſt. Magi enim promittunt ſe ex lapidibus vel lignis leones vel lupos ſubitò producere poſſe; & nonnunquam in ſpectaculis ex terra faciunt ſubitò exiſtere leones vel lupos: conſtat autem

autem eiuſmodi animalia perfecta citra ſupernaturalem DEI potentiam nulla ratione gigni poſſe niſi ex ſemine; nec ad iuſtam magnitudinem, niſi ſtatis temporum interuallis peruenire poſſe. Dicuntur etiam mortui à Magis reuocati ad vitam, ſicut traditum eſt de puella illa quam Apollonius reuiuiſcere fecit,& de Alceſte quõdã ab Hercule ad vitã reſtituta. Plinius etiã lib. 7. c. 37. narrat Aſclepiadem celeberrimũ tempore Pompeij Magni medicũ, quendã hominẽ mortuũ è funere retuliſſe & ſeruaſſe. Non poſſe autẽ Magos verè mortuos ad vitam reuocare, ita cõcluditur: Si animus hominis eſt mortalis, non poteſt ſemel extinctus idem numero reuiuiſcere; ſin autem eſt, vti verè eſt, immortalis, non poteſt vllis hominum vel dæmonum artificijs, vel vllis naturalium agentiũ viribus rurſus ad corpus ſuum animandum viuificandumq; reuocari: nam cum ſit immaterialis & incorporeus, eſt ſupra omnis naturæ corporeæ facultates; nec vllius rei creatæ poteſtati ſubiacet. Neceſſe eſt igitur, reſurrectiones mortuorum quæ à Magis factæ narrantur, vel eſſe fabuloſas, vel fuiſſe ſimulatas, & tantùm in ſpeciem factas.

Nulla vi & arte magica poſſe mortuos reuiuiſcere.

CAPVT III.

AN SIT ALIQVA MAGIA NATURALIS.

LICET iam vſus obtinuerit vt nomen Magiæ ferè in malam partem accipiatur, pro ea nimirum arte quæ opera & adminiculo dæmonum res mirabiles vel facit vel facere ſimulat;

& Magi vulgo dicantur qui ex cõmercio quod habent cum dæmonibus, res ſtupendas efficiãt, veluti ſunt præſtigiatores, incantatores, Necromantici, & alij malefici homines: Attamen nec nomen Magiæ abſolutè & præciſe ſumptum hoc ſignificat, nec à principio ſic fuit vſurpatum, ſed vniuersè pro quadam facultate, per quam homines efficiebant res inuſitatas & admirandas ratione quadam occulta, & alijs hominibus incognita. Sic generaliter ſumpta Magia dupliciter diuidi poteſt: altera enim eſt naturalis, altera non naturalis. Naturalem voco, quæ cognitione & applicatione quarundam ſingularium virtutũm, quæ ſunt in rebus naturalibus, quæq; latent ferè mortales, agentia & patientia ſuo loco & tempore, & ſicut opus eſt inuicem componendo & temperando, effectus quoſdam inuſitatos & admirandos, & quorum ratio videtur incomprehenſibilis, moliuntur. Magia autem non naturalis dicitur, quæ etiam mira efficit, verumtamen non vtens viribus agentium naturalium, ſed ſola dæmonum opera & ope. Naturalis autem Magia rurſum triplex tradi poteſt: alia enim dici poteſt humana, quia humano ſtudio & diligentia comparatur; altera Diuina, quæ per reuelationem vel à DEO, vel ab Angelis bonis percipitur: Tertia, Dæmoniaca quam dæmones tradunt ijs hominibus, qui ſe illis impia ſocietate & fœdere deuinxerunt.

Triplex Magia naturalis.

ESSE autem Magiam quandam naturalem, quæ eſt ſecretior quædam & abſtruſior ſapientiæ pars, & quæ occulta quadam cognitione & vſu quarundam rerum naturalium mira perficit,

Eſſe naturalẽ quandã Magiã.

cit, nullo modo viris doctis dubitandum est. Quis enim vel tinctus duntaxat literis philosophicis; nescit esse multas virtutes rerum naturalium occultas, mirabilium rerũ effectrices, quas si quis benè nosset, & ad vsum accommodare sciret, haud dubie mira posset efficere. Multa sunt naturæ miracula incompertæ adhuc rationis, &, (vt Plinij verbis vtar) in naturæ maiestate penitus abdita. Hæc, si quis hominum illis rebus naturalibus occultè vtens, faceret, Magus vulgo diceretur, & non nisi auxilio dæmonum talia facere crederetur; cum tamẽ opera illa essent naturalia, & naturaliter à causis naturalibus profecta. De miraculis naturæ integrum librum scripsit Aristoteles, qui inscribitur De Admirandis auditionibus; quanquam eum nonnulli adscribunt Theophrasto. Plinius cum alijs libris multa, tum plurima secundo libro Naturalis historiæ prodidit, & Proclus in libro De Sacrificio & Magia, & beatus Augustinus libro 21. De Ciuitate DEI, cap. 4. & 5. Albertus Magnus lib. 2. Mineralium, Tractatu 2. cap. 1. 11. & 17. & Fracastorius in lib. De Sympathia, & Ficinus libro 4. Theologiæ Platonis, cap. 1. multaq; eius generis sparsa leguntur in libris Cardani de subtilitate & varietate rerum; quorum hîc nonnulla ex Plinio recensebo lib. 2. cap. 96. Iuxta Harpasa oppidum Asiæ, cautes stat horrenda vno digito mobilis, eadem, si toto corpore impellatur, resistens. Duo sunt montes iuxta flumẽ Indum, alteri natura est, vt ferrum omne trahat, alteri, vt respuat; Itaque si sint claui in calciamẽto, in altero auelli non posse, in altero sisti. Et

Miracula natura.

cap. 105. Hæc est natura Naphtæ circa Babyloniam profluens bituminis liquidi modo, vt in eam vndecumq; visam protinus transiliat ignis. Ita ferunt à Medea pellicem crematã, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta, & cap. 107. In Nymphæo exit è petra flamma quæ pluuijs accẽditur, & cap. 103. In Dodone Iouis fons cùm sit gelidus, & immersas faces extinguat; si extinctæ admoueantur, accendit. In Illyrijs supra fontem frigidum expansæ vestes accenduntur. Idem Plinius libro vltimo, cap. 4. Adamas (sic Græcè dictus, quòd nec ferro, nec igne dometur) hircino tamen rumpitur sanguine: & cum magnete lapide in tantum disidet, vt iuxta positus ferrum non patiatur abstrahi; aut si admotus magnes apprehenderit, rapiat atque auferat. Verùm nihil esset mirabilius magnete, si vis eius non adeo nobis esset nota & explorata. Nam rationem cur ferrum ad se trahat, & acum nauticam sua vi tactam eatenus agitet, quoad illa directo septentriones spectet, quis nobilium philosophorum non diligentissimè inuestigauit? quis autem adhuc comperit aut satis explicauit? Sed omnia excedit miracula Echneis piscículus quem Latini vocant Remoram, cuius meminit Aristoteles lib. 2. De Historia animalium cap. 14. sed Plinius libro 32. cap. 11. non solum ab antiquis de eo prodita, sed etiã sibi suiq; temporis hominibus planè cognita & explorata tradens, ait eum semipedalem esse, limaci magnæ similem, adhærentemq; nauigijs, licet ea sint ingentia cursuq; incitatissimo ferãtur, eorum tamen ita frenare impetum, vt stare cogat,

Remora piscis.

cogat,non labore vllo, nec renitendo, nec aliter quàm adhærendo. Fertur Actiaco bello tenuisse prætoriam nauim Antonij properantis circumire,& exhortari suos, donec iret in aliã. Ideoq; cæsariana classis impetu maiore protinus venit. Tenuit etiã eius memoria Caij principis ab Astura Antium remigantis quinquiremem quadringentorum remigum viribus propulsam,eiusq; adhærens gubernaculo: feruntq; Cæsarem peculiariter miratum quomodo adhærens tenuisset,nec idem polleret in nauigium receptus. Hactenus ex Plinio. Nec modo quæ ratione carent, sed etiam homines mira edere & non cernentibus incredibilia cùm alij testificati sunt,tum haud dubium reliquit S. Augustinus multis certisq; eius rei positis exemplis. Nouimus,inquit,lib. 14. de ciuitate DEI,cap.23.hominum quorundam naturas multum cęteris dispares,& ipsa raritate mirabiles, quædam vt volunt de corpore suo facientium,quæ alij nullo modo possunt; & audita vix credunt. Sunt enim qui aures moueant, vel singulas vel ambas simul. Sunt qui totam cæsariem,capite immoto quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, reuocantq; cùm volunt. Sunt qui eorum quæ deuorauerunt,incredibiliter plurima & varia, paululum præcordijs cõtrectatis, quod placuerit, integerrimum proferunt. Nonnulli ab imo sine pædore vllo, ita numerosos pro arbitrio sonitus edunt,vt ex illa etiam parte cantare videantur. Ipse sum expertus sudare hominem solere cum vellet, notum est quosdã flere cùm volunt, atque vbertim lachrymas fundere.

Presbyter fuit quidam nomine Reſtitutus in parœcia Calamenſis Eccleſię, qui quibuſcunque volebat, ita ſe auferebat à ſenſibus & iacebat ſimillimus mortuo, vt non ſolum vellicantes & pungentes minime ſentiret, ſed aliquãdo etiam igne vreretur admoto, ſine vllo doloris ſenſu: nec in eo vllus inueniebatur anhelitus. Hæc ibi Auguſtinus.

Sphæra Archimedis.

IAM verò Sphæram illam quam tradit Cicero primo libro Tuſculanarum diſputationum, & ſecundo libro de Natura deorum ab Archimede primùm, & deinde à Poſsidonio factam, omnes cœleſtiũ orbium conuerſiones ſuis motibus clariſsime perfectiſsimeq; repreſentantem, quis humanum ac non potius diuinum aut dæmoniacum inuentum & opus credidiſſet? Huc etiam referri poteſt quod Albertus capite tertio libri ſui De moribus Animàlium commemorat, duos in Germania natos eſſe pueros, quorum altero iuxta domorum oſtia incedente, omnia oſtia verſus latus ſiniſtrum illius aperiebantur, tametſi clauſa eſſent: idemq; contingebat alteri puero illius fratri, verſus latus eius dextrum; & hoc dicit vidiſſe multos, negatq; id referri poſſe aliò, quàm in proprietatem occultam quæ vtriq; in eorum ortu indita eſt à cœlo: quanquam ego vereor ne illud non fuerit verum: aut ſi fuit, non puto id naturaliter ſine interuentu & opera dæmonũm fieri potuiſſe.

Quales Magi Perſarũ.

SI igitur tam mira ſunt naturæ opera; cur nõ ſapiens reconditiori naturalium rerum cognitione vſuq; præditus ſimilia facere poſſet? Atq; hæc eſt Magia naturalis. Tales erant apud Perſas Magi

Magi (ait Philo in libro, Quod omnis probus ſit liber) naturæ ſcrutatores, præ veritatis cognoſcendæ ſtudio, qui per otium diuinas virtutes contemplantur clarius, & alios ijſdem initiant myſterijs. Et in libro De ſpecialibus legibus. Veram, inquit, Magiam, hoc eſt, Perſpectiuam ſcientiam, per quam Naturæ opera cernuntur clarius, vt honeſtam expetendaḿq;, non plebeij ſolum teſtantur, ſed etiam Reges regum maximi, præſertim Perſici, tam curioſi harum artium, vt regnare non liceat niſi familiariter cum Magis verſato. B. Hieronymus exponens ſecundum Danielis caput: Magi, inquit, ſunt, qui de ſingulis philoſophantur, nec malefici ſunt, ſed Philoſophi Chaldæorum, & ad artis huius ſciẽtiam reges quoque & principes eiuſdem gentis omnia faciunt. Vnde & Magi in Saluatoris noſtri natiuitate primi, ortum eius intellexerunt. Huius artis excellenti peritia, cenſet Philoſtratus Apollonium Tyaneum mira quę de eo narrantur, effeciſſe, idemq; ſenſit de illo Iuſtinus martyr in Quæſtionibus ad Orthodoxos, quæſtione vigeſimaquarta ita ſcribens: Apollonius, vt vir naturalium potentiarum & diſſenſionum atque conſenſionum earum peritus, ex hac ſcientia mira faciebat, nõ auctoritate diuina. Hanc ob rem in omnibus indiguit aſſumptione idonearum materiarũ, quæ eum adiuuarent ad id perficiendum quod efficiebatur. Et Apollonij quidem opera quoniam facta ſunt ex ſcientia rerum naturalium ad corporalem actionẽ hominum, non euertit DEVS. Sic ibi Iuſtinus. Huius Magiæ naturalis fiducia auſus eſt Archi-

Matth. 2.

Iuſtini martyris teſtimonium de Magia Apollonij Tyanei.

Archimedis scientia potentia.

medes admirandum illud theorema ponere. QVANTVMLIBET onus quibuslibet viribus mouere: nec posuit modo, sed & apertissimè demonstrauit: & quia id regi Hieroni incredibile videbatur, speculationẽ illam ad praxim traduxit, ingentem nauem onerariã quam ingens hominũ turba, vix maximo labore mouere poterat, hominibus multis ponderibusq; impositis, procul assidens, quieta impellens manu, vi quadam multifidæ machinæ, tranquillo quasi mari prolaberetur, ad se adduxit. Cumq; Marcellus maximo exercitu terra mariq; Syracusas obsideret; Archimedes ad vrbis propugnationem, mirabiles terribilesq; omnis generis machinas telaq; huius Magię naturalis sciẽtia adinuenit, quibus tantas hostium strages passim edebat, vt Romani incredibili admiratione terroreq; perculsi, dicerent se non contra homines, sed contra deos pugnare. Quid dicam de stupendo illo Architæ Pythagorici commento? à quo plerique nobilium Græcorum tradunt, & apud Aul. Gellium lib. 10. cap. 12. Phauorinus Philosophus pro certo confirmat, simulachrum columbæ è ligno ratione quadam mechanica factum, volasse; ita erat scilicet libramentis suspensum, & aura spiritus inclusa atque occulta concitum. Hac etiam arte ferunt Albertum Magnum, caput æneum, quod maxima spectantiũ admiratione loqueretur, fabricasse. Seuerinum etiam Boëtium, in epistola quadam siue à Cassiodoro, siue à Theodorico ad eum scripta, dicitur, huius artis vi, miracula feciſſe, hoc est, vt metalla mugirent, æneus anguis sibilaret, aues

Plutarchus in Marcello.

Columba lignea volans.

Caput æneum loquens.

Mira opera Boëtij.

aues ſimulatæ dulciſsimè canerent, homines æ-rei in aëre buccinarentur. Verùm de his ſatis, illudq; ratum & indubitatum ſit, eſſe quandam Magiam naturalem, quam qui tenent (pauciſsimi autem benè tenent) poſſunt mira facere, quę rude vulgus putat opera & auxilio dæmonum fieri: Tum quia opera illa ſunt inuſitata; Tum quod ſecreta quadam ratione & alijs occulta fiant. Quamobrem plerique putant eiuſmodi homines habere conſortium cum dæmonibus, & non niſi eorum ope illa præſtare. Talem de ſe fuiſſe hominum opinionem, quodam loco ſcribit Galenus, & Boëtius libro primo de conſolatione, proſa quarta, queritur ſe, propter recõditioris Philoſophiæ cognitionem, & quarundam rerum mirabilium effectionem, tanquam magicis & maleficis artibus imbutum, fuiſſe accuſatum & damnatum.

Naturalis Magia Salomonis.

MAGIAE autem naturalis, non humano ſtudio partæ, ſed à DEO vel Angelis bonis acceptæ, manifeſtum eſt argumentum perfectiſsima rerum omnium naturalium ſcientia diuinitus infuſa Salomoni: per quam veriſimile eſt, eum mira effeciſſe, aut certe ſi voluiſſet facere potuiſſet. Ioſephus certè libro octauo de Iudaicis antiquitatibus ait, Salomonem inſtituiſſe occulta quædam remedia ad pellendos morbos & fugandos dæmones. Incantationes, inquit, compoſuit quibus morbi pelluntur, & coniurationum modos reliquit ſcriptos, quibus ita fugantur dæmones, vt deinceps nunquam reuerti audeant: atque id ſanationis genus etiã ſuo tempore apud Iudæos in vſu eſſe; & ſe vidiſſe Eleazarum

3. Reg. 2.

zarum Iudæum, præsente Vespasiano alijsque Principibus, multos à dæmonibus vexatos, hac ratione liberasse. Modus curationis erat hic: admoto naribus dæmoniaci annulo, sub cuius sigillo inclusa erat species cuiusdam radicis à Salomone indicatæ, ad eius olfactum, per nasum cõtrahebatur dæmonium, & collapso mox homine, adiurabatur dæmonium ne amplius rediret, Salomonis mentione facta, & incantationibus eius recitatis. Discessus autem dæmonis ab homine, illud erat indicium, quod iussu Eleazari egrediens, vas plenum aqua ibi positũ, inuisibiliter euertebatur. Hæc ex Iosepho. Sed profecto illa ratio eijciendi dæmonem, non ex Magia naturali, sed ex superstitiosa & Diaboli artificio composita proficiscebatur; nec eam credibile est institutam esse à Salomone, nisi forte postquam is DEI gratiam perdidit, in cultum idololatriæ prolapsus. Iuuenis etiã Tobias, mirabilem vim eius piscis quem in Tigri ceperat, Angelo Raphaele docente, cognouit. nam sic Tobiæ dixit Raphael (vt legitur cap. 7. illi⁹ libri) *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos: fel autem eius, valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo & sanabuntur.* Simili remedio piscis, Gregorius Turonensis Episcopus, cum puer esset, diuinitus admonitus, patrem suum à grauissimo morbo liberauit.

3. *Reg.* 11.

NONNVNQVAM etiam Magiam naturalem discunt homines à dæmonibus. Sic enim Magos Pha-

Pharaonis eam didiciſſe, certum eſt. Immo ferè, qui hanc Magiam tenent, cum ſint homines minimè probi, & Philoſophiæ aliarumq; liberaliũ doctrinarum rudes & imperiti, non dubium eſt, quin vel ipſi eam artem à dæmonibus didicerint, vel ab his quibus eam dæmones tradiderunt. Vix enim vlli mortalium, aut certè pauciſsimis, nec niſi ijs qui acerrimo fuerint ingenio, & longinqui temporis diligenti obſeruatione vſi, talis Magia naturalis cõtingere poteſt.

CAPVT IIII.

AN SIT ALIQVA MAGIA NON naturalis, hoc eſt, quæ non ad naturam, ſed ad dæmones neceſſariò referri debeat.

MVLTA faciunt Magi, quæ nullo modo effici poſſunt per cauſas naturales, ſed ea neceſſariò referri debent ad aliquas ſubſtantias incorporeas, quæ occultè cum ipſis Magis & per ipſas operantur. Magi enim nonnunquam faciunt ſtatuas è ligno vel alia materia factas, nullo extrinſecus impellente, moueri ex ſe motu progreſsiuo & humano, quin etiam loqui & reſpõdere ad quæſtiones de varijs rebus propoſitas: ſi id fieret naturaliter, cum natura nunquam det operationem aliquam, niſi dando formam, ex qua illa operatio procedit, ſupradictæ verò actiones, ſint tantummodo animalium perfectorum, & quædam propriæ hominis, oporteret in illa ſtatua productam fuiſſe animam ſentiẽtem perfectam, & animam rationalem. At nec huiuſmodi

iusmodi animæ possunt esse subiectiuè in tali materia, qualem habent illæ statuæ, quippe quæ carent vita & sensu; nec animalia perfecta possunt generari nisi ex semine à sui similibus; nec potest natura simul & generare animal perfectum, & perfectam illi magnitudinem dare: Necesse igitur est, prædictas operationes statuarum, non à natura, sed ab aliquo dæmone, qui intra illam statuam latet, proficisci. Deinde, Magi quædam manifestant occultissima, & quæ ratione humana nota eis esse non potuerant; veluti furta clam facta, thesauros alicubi reconditos, res quæ in remotissimis regionibus geruntur, quæ quisq; olim vel dixit vel fecit, denique prædicunt quædam futura; hæc autem opera sunt mentis, & quidem sublimioris atque præstantioris, quàm est humana. Præterea Magi cùm volunt mira illa facere, certis quibusdam vestibus induuntur, ducunt quasdam lineas, describunt figuras, pingunt characteres, & alia quædam adhibent, quæ per se nec vim habent naturalem producendi illos effectus, nec præparandi materiam ad illos producendos, aut accipiendos: non igitur Magi opera illa faciunt per causas naturales.

ADHAEC, supra omnis naturæ corporeæ potestatem est illud quod nonnunquam faciũt Magi; vt ad eorum præsentiam, & fores & alia loca quæ clausa sunt, repentè patefiant; interdum etiam se vel alios repente ex hominũ conspectu subducunt, quod de Apollonio Tyaneo memoriæ proditum est: is enim cum sisteretur in prætorio ante Domitianum Imperatorem, repentè

repente ex oculis omnium euanuisse dicitur. His accedit quod Magi non faciũt hæc, nisi pronunciando certas quasdam voces & verba, in quibus totam illi, vel maximam vim artis Magicę ponunt; voces autem & verba, cùm ex se non habeant aliam vim quàm significandi, vel quodammodo afficiendi auditum, non possunt esse causa vt aliquid fiat, nisi dupliciter; vel ratione rerum quæ illis verbis dicuntur, quæ res intellectæ ab audientibus, eos variè afficiunt & mouent, præsertim adiuncta decenti conuenientiq; actionis & pronuntiationis ratione; & hoc modo oratorum & concionatorum verba, mouere solent audientes; sed hic modus mouendi, non nisi ad audientes qui intelligunt, pertinere potest: Vel mouent verba, propter suauitatem modi, quo modulatè & artificiosè cum suauitate & dulcedine auditum afficiunt; qua ratione non solum homines, sed etiam animalia vocibus musicis variè affici & permoueri cernimus; neutrum autem horum reperitur in vocibus Magorum, non igitur per illas voces, tanquam per causas naturales, illos suos effectus producunt. Iam verò, cum Magi ad faciendum quod volunt, adhibeant quasdam inuocationes, obtestationes, comminationes, sacrificia, prostrationes corporum, & alia eiusdem generis; quis non liquido cernit hæc non posse referri ad naturam corpoream, ratione & intelligentia carentem, sed ea naturæ alicui incorporeę & intelligenti, cuius Magi opem implorant, & sine cuius concursu, quod intendunt efficere nõ possunt, exhiberi?

Quomodo voces possunt esse causa efficientes aliquarum rerum.

Postre-

Postremò, ne quis vel ambigendi, vel cauillandi reliquus sit locus, illud meo iudicio omnem tollit dubitationem, quòd non solum Magi miranda illa opera per seipsos faciũt, sed quasi quædam dictata tradentes alijs, eadem per illos perficiunt: quin etiam vsu venit quosdam planè ignorantes, an illa essent vel à dęmone tradita, vel magicis prauitatibus infecta, fidem tamen habentes illis sibi dictatis, eisq; vtentes, mira etiam feciſſe; quod apertè demonstrat, facultatem eiusmodi res perficiendi non esse naturalem. Non me fugit, Petrum Apponensem, Cardanum, maximè verò Pomponatium in libro De Incantationibus, eiusmodi opera Magorum, exclusis dæmonibus, ad solas causas naturales conatos esse referre; sed frustra & infeliciter. Verùm eorum opinionem infrà explicabimus & refellemus. Sciendum autem est, hanc nostram sententiam quam hîc docuimus & confirmauimus, ab omnibus Platonicis fuisse probatam & literis traditam; hoc enim sensit Plotinus, Porphyrius, Iamblicus, Proclus: hæc etiam fuit & Pythagoreorum doctrina, immò ante hos omnes idem in Pimandro sensit & docuit Mercurius Trismegistus.

CAPVT

CAPVT V.

AN SPIRITVS ILLI QVORVM OPERA & auxilio Magi mira faciunt, sint boni, an mali.

SVBSTANTIAS incorporeas quæ fauent Magis, eosq; iuuant, ad illa opera facienda, quæ non fiunt per causas naturales, sed excedunt naturæ corporeæ potestatem, non esse bonos Angelos, sed malos, quos trito iam vocabulo Dæmones appellamus, multis sanè firmis manifestisq; argumentis ostendi & concludi potest. Primò, eiusmodi spiritus iubent se à Magis adorari tanquam deos, sibiq; sacrificia fieri; hoc autem est proprium dæmonum, qui honorem diuinitatis, quem à principio affectantes assequi non potuerunt, decipiendis hominibus, aliquo modo obtinere cupiunt. Boni autem Angeli, eiusmodi honores non solum non optant, sed etiam vehementer auersantur. Vnde legimus in Apocalypsi, Angelum quendam prohibuisse ne Ioannes ipsum adoraret, dixissetq; : *Vide ne feceris; conseruus enim tuus sum, &c.* DEVM *adora.* Deinde Magi sunt homines flagitiosissimi, & artibus magicis abutuntur ad inferendum exitium alijs, hoc est, ad patranda adulteria, furta, homicidia, atque adeo infanticidia : boni autem Angeli, nec maleficis hominibus fauent, & ab eiusmodi sceleribus abhorrent. Posthæc, Magi multa miscent mendacia multasq; fallacias, quibus homines circumueniunt, & decipiunt : ad quod Angeli boni cooperari non possunt. Præterea, *Apoc. 19.*

Magi inuocando eos quorum abutuntur opera, minantur illis quædam impoſsibilia niſi venerint: & cum venerunt, imperant illis, & cogunt ne inde diſcedant; hoc autem imperium non poſſunt habere homines in Angelos bonos: habent autem in Dæmones, vel quia ſuperior dæmon, cum quo Magi habent ſocietatem, & fœdus fecerunt, cogit inferiores dæmones parêre iuſsis Magorum; vel ſimulant dæmones ſe cogi à Magis, cum tamen id voluntarie faciant, nec ab illis cogi queant, quò facilius decipiant homines, tantam vim & auctoritatem Magorum admirantes, & illis fidem adhibentes. Quod autem Dominus noſter argumentatur, ſe non eijcere dæmones poteſtate principis dæmonum, quia non poteſt Satanas Satanam eijcere; alioqui regnum eius diuideretur, nec diu ſtare poſſet; intelligendum eſt de perfecta eiectione dæmonis ab homine, hoc eſt, tam ex corpore eius quàm ex animo; vel de eiectione quæ proficiſcitur ex odio dęmonis, & deſiderio euertendi imperium quod habet in homines. His adde, quia vt benè, inquit Euſebius lib. 5. De præparatione Euangelica cap. 7. vnde potuerunt Magi diſcere verba illa & cæremonias quibus dæmones aduocant, eosq; vel loco, vel añulo, vel vaſi, vel ſtatuę vel alijs rebus adeſſe cogunt? Vnde ſcire quibus ſacrificijs, libamentis aut ſuffimentis dęmones auertantur & fugentur, vel oblectentur & alliciantur? & alij quidem dæmones, alijs rebus; vnde, inquam homines hæc diſcere potuiſſent, niſi ab ipſis dæmonibus?

Quomodo Magi Dæmonibus imperent.

Matth. 12 *Luc.* 11.

QVID

QVID quod non eſt credibile, hominẽ poſſe imperare Angelis bonis, eosq; vel reluctantes cogere & compellere ad aliquid faciendum; quod tamen Magos facere diſertiſsimis verbis declarauit Porphyrius Philoſophus in epiſtola ad Anebonum Ægyptium, quam Euſebius lib. 5. De præparatione Euangelica capite ſexto ſcriptis ſuis inſeruit; ex ea verò nonnulla quæ ad rem præſentem maximè pertinent, hic adſcribam. Proponit autem in ea epiſtola Porphyrius nonnullas dubitationes circa ea quæ Magi faciunt Dæmones inuocando. Prima dubitatio eſt, Quomodo Magi inuocant & obſecrant dæmones tanquam ſuperiores, & eiſdem tamen tanquam inferioribus imperant, & quod volunt, facere eos cogunt. Secunda: Cur Dij Magorum iubent homines eſſe iuſtos, ipſi autem à Magis iuſsi, multa patrant iniqua & flagitioſa. Tertia: Nolunt illi exaudire Magum, qui nõ multis diebus ante ſe abſtinuerit à Venere, ipſi tamen iuſſu Magorum illiciunt & incitant homines ad turpes & nefandas libidines. Quarta: Volunt Magum inuocaturum ipſos, ante ab eſu carniũ abſtinere; cum ipſi tamen nidore ac ſanguine cæſorum animaliũ maximè oblectentur. Quinta: ei qui mortuum tetigit, ad operationes magicas accedere non licet; cum tamen mortuis & cadaueribus animalium res magicæ ferè peragantur. Sexta: Magi minantur Soli & Lunæ & Dijs cœleſtibus, dicentes ſe conciſuros cœlum & arcana Iſidis edicturos, & Oſiridos membra Typhoni tradituros, niſi Dij aduenient & reſpondeant ipſis; abſurdũ tamen videtur, Deos quaſi

Dubitationes nouem Porphyrij de ijs quæ faciũt aut dicunt Magi inuocando Dæmones.

infantes, eiuſmodi fictis minis & terroribus cõ-moueri. Moueri autem eos iſtis minis, Cheremon ſacer ſcriba teſtatur,& hæc eſſe illa inquit, quibus Dæmones maxime coguntur. Septima: preces autem & orationes,quibus vtuntur Magi inuocantes ſuos Deos, inanes & ridiculæ videntur; ſic enim eos compellant: Tu, inquiunt, qui è limo emerſiſti,qui ſedes in loco, qui nauigio nauigas,qui ſingulis horis formam commutas, & in ſingulis Zodiaci ſignis commutaris. Atq; his precationibus & adiurationibus aiunt Deum ſe hominis viſui ſubijcere. Octaua: Quid ſibi volunt verba illa barbara, & nihil planè ſignificantia, quibus Magi vtuntur ad deos ſuos aduocandos?nam ſi ad verborum ſignificationem Dij reſpiciunt, quacumq; voce eadem res ſignificetur, mouebuntur : non enim dij ſunt Ægyptij vel Scythæ,vel illis linguis vtuntur,aut illas tantum norunt. Nona : cùm dæmones ſint ſupra ordinem rerum ſenſibilium, quomodo poſſunt rebus ſenſibilibus vel allici, vel etiam cogi? quare aut Magorum malignitate hæc omnia ſunt excogitata,qui noſtras paſsiones DEO attribuere auſi ſunt; aut aliter homines de DEO cogitant, quàm rei veritas habeat. Hæc in illa epiſtola Porphyrius. Iamblicus autem , quem Simplicius & alij ob magnam peritiam rerum diuinarum, cum incredibili ſtudio & religione coniunctam, diuum prænominare ſolent, in libro, quem De Myſterijs Ægyptiorum ſcripſit, ad ſupradictas omnes Porphyrij dubitationes reſpondere conatur: ſed eiuſmodi ſunt omnia eius reſponſa, vt mihi quidem videantur eſſe

magis

magis incredibilia & absurda, maioribusq; implicata difficultatibus, quàm illę ipsæ, quæ propositæ sunt dubitationes.

SED quæret aliquis, cur Dæmones non nisi sub certis quibusdam cœli constellationibus, & nõ nisi certis quibusdam, vel lapidibus, vel herbis, vel figuris aut alijs signis adhibitis, aduocẽtur à Magis, nec aliter opera magica fiant? Respondeo, id quidem facere dæmones varias ob causas. Primo vt inducant homines in eum errorem, vt credant esse aliquod numen & diuinitatem in stellis, easq; pro Deo adorent & colant. Deinde, vt simulãdo per stellas multa maleficia, multaq; incommoda & detrimenta inferri hominibus, infamẽt eas, & exosas reddant hominibus. Præterea, quia dęmones, cum non nisi per causas naturales operẽtur, animaduertunt, secundum certas aliquas constellationes, materiam circa quam operari volunt, magis affici & pręparari ad effectus illos accipiendos. Hinc fit, vt nonnunquam dæmones secundum incrementa Lunę, maximè quosdam vexent, qui propterea vocantur Lunatici, quos Dominus sanasse dicitur in Euangelio Matthęi cap. 4. & 13. cum enim cerebrum hominis, auctore Aristotele, sit omnium corporis partium humidissimum, ideoq; maxime subijciatur potestati Lunę, quę magnam habet potentiã & vim commouendi humores, in cerebro autem perficiãtur actiones interiorũ sensuum, hinc fit, vt dęmones secundum incrementa Lunę, maxime perturbent phantasiam hominis, quia vident tunc cerebrum eius ad id esse magis pręparatũ.

Notabilis dubitatio.

Porro dæmones, ſicut dixit beatus Auguſtinus 21. De ciuitate DEI, cap. 6. alliciuntur herbis, lapidibus, animalibus, carminibus alijsq; cęremonijs, non tanquam animalia cibis, ſed vt ſpiritus ſignis, ea ratione, vt hæc illis exhibentur in ſignum diuini honoris, cuius illi ſunt cupidiſsimi. De hoc vide S. Thomam prima parte, quæſt. 115. art. 5.

CAPVT VI.

QVAE OPERA ADMIRANDA POSſint facere Dæmones vel per ſe ipſos, vel per Magos.

DVo ſunt hîc ponenda ex ſacris literis ſatis manifeſta, vnum eſt, Dæmones per ſe ex vno loco in alium moueri, & quidem maxima celeritate. Legimus enim in libro Iob, Satan DEO interroganti vnde veniret, reſpondiſſe: *Circuiui terram & perambulaui eam*, & Dominus in Euangelio ait quendam ſpiritum nequam egreſſum ab homine quem tenebat, perambulaſſe per loca arida & inaquoſa, & iterũ aſſumptis alijs ſeptem ſpiritibus nequioribus ſe, ad eundem illum hominem reuertiſſe: & Petrus admonet fideles vt ſobrij ſint & vigilent, quoniam aduerſarius eorum diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Alterum quod hoc loco ponimus eſt, dæmonem non ſolum poſſe mouere ſeipſum, ſed etiam alia corpora, ex vno loco in alium transferendo. Id quoque ex ſacris literis certum eſt: Dæmones enim per peccatum non perdiderunt dona naturalia:

Iob. 1. & 2.

Matth. 12.

1. *Pet.* 5.

turalia: ſicut igitur Angeli naturali vi mouent orbes cœleſtes, ſic Dæmones poſſunt mouere alia corpora: & ſicut Angelus ille Prophetã Habacuch capillo capitis apprehenſum, ex Iudæa, Babylonem vſq; tranſportauit, indeq; reportauit in Iudæam, ita poſſet dæmon idem facere; quin imò id eum feciſſe certum eſt: legimus enim diabolum, Dominum noſtrum tuliſſe in pinnaculum templi, & in montẽ excelſum. Nec hoc loco diſputandum eſt, an talis virtus motiua dæmonis, ſit diſtincta ab intellectu & voluntate eius: nam diſtinctam eſſe equidẽ arbitror, licet pleriq; negent. Verùm eius quæſtionis tractatio aliena eſt huic loco. Nec definio nunc quãta ſit virtus motiua dæmonis, vel quot corpora aut quanta mouere queat & non amplius, id enim incognitum mortalibus puto; exiſtimo tamen in dęmonibus ſuperioribus maiorem eſſe hanc vim motiuam, inferioribus verò minorem: ſicut enim eorum naturę ſunt vel perfectiores vel imperfectiores, ita quoq; eorum potentiæ ſunt vel fortiores vel imbecilliores. Nam quia Angelus eſt terminatæ ſpeciei & definitæ naturæ & perfectionis; ideo nec poteſt eſſe vbique locorum, neq; poteſt quantacunque velocitate quantumlibet corpus mouere. Præterea ſciendum eſt, duplicem eſſe dæmonum actionem, quæ à Philoſophis vocatur tranſiens, alteram immediatam quæ immediatè proficiſcitur à dæmone, & hæc eſt motus localis quo mouet corpora; nam ſicut intelligentiæ non per aliqua media inſtrumenta, ſed immediatè mouent orbes cœleſtes; ſic dæmones immediatè poſſunt

Dan. 14.

Matth. 4.

Duplex actio dæmonum tranſiens.

moüere corpora ſecundùm locum. Altera eorum operatio tranſiens, eſt mediata, nempe quæ motionem localem ab ipſis factam cõſequitur: dæmones enim afferendo ex varijs locis & inuicem applicando cauſas naturales & agentia inuicem & patientia componendo, varios producunt effectus; qui effectus immediatè quidem exiſtunt ex cauſis naturalibus, mediate verò à dæmonibus qui illas cauſas præſentes fecerunt, & materijs quæ ab illis aptæ ſunt pati accommodarunt. His poſitis, quænam opera mira dæmones poſsint facere, demonſtremus.

Opera quæ poſſunt Dæmones facere.

PRINCIPIO, per motum localem multa poſſunt dæmones facere, quæ fidem excedere videantur, quorum nonnulla hic ſubijciam exempla. Primo poſſunt ignem ex ſuperiore aëris parte demittere, quo multa conſumant & perdant: poſſunt etiam immittere vehementes & turbulentos ventos, qui magna diruant ædificia, ſicut feciſſe legitur aduerſus Iob: *Cecidit (inquit ſcriptura) ignis de cœlo & tactas oues puerosq; conſumpſit: & repentè ventus irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos & mortui ſunt.* Poteſt dæmon grauiſsimas tempeſtates & procellas in mari excitare, vel aquas maris ab imo commouendo, vel per concitatiſsimos ventos. Poteſt terram magnis motibus concutere, vel immittendo vehementem aliquem ſpiritum in cauernas terræ, vel in illis incluſum vehementiſsime agitando. Sic fortaſſe fieri potuit, quod narrat Philoſtratus de duobus dolijs, quę vidit Apollonius apud

Iob. 1.

Indos,

Indos, quæ aperta, imbres & ventos emittebant; clausa verò eadem cohibebant atq; compescebant. Secundo potest transferre ex vno loco in alium quantumuis remotum, vel homines, vel animalia, vel quæuis alia corpora. Sic Diabolus CHRISTVM tulit in pinnaculũ templi & in montem excelsum, & historia Ecclesiastica narrat, Simonem Magum à Dæmonibus per aëra euectum esse in cœlum. In historijs etiam Gentiliũ traditum est, nonnunquam visos esse serpentes, dracones & homines per aëra volantes; quin etiam Albertus tradit nonnunquam boues seu vitulos pluisse: quod hac ratione factum esse existimandum est. Tertio potest dæmon subitò res præsentes è conspectu hominum subtrahere, atque ita reddere inuisibiles; sicut Apollonius cùm esset in conspectu Domitiani Imperatoris, repente ex oculis omniũ excesit, & nisi volumus fabulam fuisse id, quod de Gyge memorat Plato & Cicero, hac etiam ratione dicemus, Gygem cum volebat, potuisse latere oculos præsentium & spectantium, idq; fecisse, non vi & potestate eius annuli quem gestabat, vt illi tradunt, sed potius Dæmonum artificio. Quarto potest facere, vt statuæ vel alię res inanimatę ambulent & incedant more hominum, Dęmone illas mouente, & motum moderante: sic factum est quod ex Philostrato supra commemorauimus, de tripodibus lapideis, & pincernis ęreis, qui apud Iarcham prędente Apollonio, in conuiuio per se mouebantur, & more famulorum ministrantium mensis, & pocula & fercula conuiuis suo loco & tẽpore prębebant. Quinto:

Matth. 4.

Plato in 2. de rep.

Cic. lib. 3. de offic.

Statuæ per se incedentes.

Statuæ loquentes more humano.

possunt facere, vt statuę, arbores, animalia loquantur more humano; qua ratione fieri potuit, quod narrat Valerius Maximus lib. 1. cap. vlt. de simulachro Iunonis Monetę, quod Romani Veijs Romam transferre religionis ergo cupiebant. Cùm enim quidam militum per iocum interrogaret illud simulachrũ an Romam migrare vellet; velle se respondit: qua voce audita, lusus in admirationem & religionem versus est. Simulachrum etiam Fortunæ muliebris, à matronis Romanis cum æde sua consecratũ, bis locutum esse, idem Valerius auctor est, his verbis: Ritè me matronæ vidistis, ritè me consecrastis. Et Caio Volumnio & Seruio Sulpitio Cos. dicitur, bos humano sermone locutus; bello etiam Punico secundo fertur Gneo Domitio, bouem dixisse: Caue tibi Roma. Huc quoque pertinet quod narrat Philostratus, cum Apollonius esset cum Gymnosophistis Æthiopum, quorum princeps erat Thespecion, eius tacito iussũ, arborem vlmum humana voce Apollonium salutauisse. Nec putandum est vel leones, vel arbores, vel alias res inanimas modo hominum loqui posse, sed Dæmonem esse qui sermones illos articulatos & humanis similes in aëre formet iuxta, vel intra illa corpora: Sic Angelus qui occurrit Balaam ei mortem intentans, fecit vt eius asina loqueretur: nam etiam videmus esse quosdã qui per organa vel alia instrumẽta musica, tanto artificio modificare ac temperare possint flatũ quo illa pulsantur & resonant, vt voces & cantus hominũ ęmulari & reddere videãtur. Sexto: possunt facere vt animalia

Num. 22.

mirabili

mirabili quadam ratione ſe ipſa moueant, & quædam agant, quæ ſine intelligentia & ratione, nec ea quidem vulgari, ſed admodum ſolerti & prudenti minimè fieri poſſe videatur: tale eſt quod narrat Valerius lib. 1. cap. 8. quod eſt de Miraculis, de ſerpẽte illo Æſculapij, quem Romani quaſi volentem & intelligentẽ, & quædam rationis ac religionis, nec non diuinitatis cuiuſdam ſigna dantem, Epidauro Romam aduexerunt. huius etiam generis eſt quod narrat Philoſtratus lib. 5. cap. 15. de leone quodã manſuetiſsimo, qui loro, veluti canis, in Ægypto per vrbes ducebatur, contrectantibus ſe non modo non nocens, ſed etiam blandiens; qui ad genua Apollonij modo ſupplicantium hominum humiliter ſe abiecit: quem aſpiciens Apollonius, ad eos qui aderant, Hic, inquit, leo me rogat vt vos doceam hominis animam illum habere: fuit enim hic quondam Amaſis Ægypti rex. quę ſimul atque dixit Apollonius, leo miſerabiliter fremens, lachrymabilem rugitum edidit, tum dentibus infrendens, cum plorare videretur, vbertim lachrymas fundebat. Hunc, inquit Apollonius Leonem, cenſeo Leontopolim mittendum, & in templo collocandum: regem enim in regiam belluam conuerſum, tanquam, egenum mendicare indignum iudico. Hæc ille, quæ omnia arte magica Apollonij & opera Dæmonum facta ſunt, quò facilius error Pythagoricus de tranſmigratione animarum humanarum in varia beſtiarum genera, hominibus perſuaderetur. Septimo: quod in hiſtorijs Romanorum legitur, & à nobis ſupra eſt commemoratum,

Fabula Leonis, Apollonij.

ratum, Claudiam mulierẽ Veſtalem, quò ſuam pudicitiam probaret, nauim ita hærentem in Tiberi, vt multi eam homines loco mouere non poſſent, Zona ſua quo volebat, nullo labore traxiſſe: Et Tucciam item Veſtalem, aquam Tiberi hauſtam, ad Capitolium vſque cribro tuliſſe: hæc, inquam, facta ſunt opera Dæmonis, qui & nauim occultè promouebat, & aquam ne per cribrum dilaberetur, ſuſpenſam tenebat. Octauo: poteſt facere, vt ſubitò globus aliquis igneus vel flamma appareat, vel circum aliquem fulgeat; ſicut Plinius lib. 2. cap. 107. Seruio Tullio dormienti, ex capite flammam emicuiſſe; & L. Martio in Hiſpania interemptis Scipionibus cõcionanti, & milites ad vltionem exhortanti, arſiſſe ſimili modo. Nono: poteſt aquas fluminũ dirimere & eas retro pellere, ita vt flumina retro fluere videantur: quod Plinius ſuo tempore accidiſſe ſcribit lib. 2. cap. 103. his verbis: Amnes retro fluere, & noſtra vidit ætas Neronis principis annis ſupremis, ſicut in rebus eius retulimus. Decimo: poteſt Dæmon varia corpora variè formata aſſumere, eaque mouere, ita vt homo vel Angelus, vel leo, aut aliud quoduis animal videatur; idq; facit vel ad exterrendos, vel ad decipiendos homines. Legimus enim, B. Antonio dæmones in varijs animalium formis, & quidem horribilibus ac terrificis, ad eũ perterrefaciendum & à ſancto propoſito remouẽdum apparuiſſe. Sic accipiendum eſt quod ſcribit Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. Romanis apud lacum Rheginum pugnantibus cum acie Tuſculanorum, Caſtorem & Pollucem Romanarum

Amnes retro fluentes.

riarum partium propugnatores, viſos hoſtiles copias penitus fudiſſe: & Publ. Vatinio noctu vrbem petenti, obuios eſſe factos duos iuuenes, excellenti forma, albis equis inſidẽtes, nunciantes illo ipſo die Perſam regem à Paulo fuiſſe captum: quod ita euenisſe poſtea compertum eſt. Vndecimo: poteſt Dæmon repreſentare varias figuras cuiuſlibet rei, vel auri, vel gemmarum, vel dapum, vel hominum. Nam ſicut fictores ſculptoreſúe ex materijs ſibi ſubiectis, varias formas & figuras rerum effingunt, & interdum tales, vt veræ ac naturales videantur, ſicut traditur de illis vuis à Zeuxide pictis, adeo perfecte naturales vuas reddentibus, vt eas ab auibus appetitas eſſe dicatur. Sic Dæmon ex aëre condenſato vel alia quauis materia, cuiuſlibet rei figuram effingere poteſt: cuius rei ſupra ex Philoſtrato exemplum poſuimus, lamiæ cuiuſdam quæ Menippo quem decipere volebat, maximas opes, pretioſa ornamenta, magnã copiam vini & epularum oſtentabat; quæ Apollonius oſtendit eſſe tantùm inania ſimulachra & imagines earum rerum quæ videbantur. Duodecimo: poſſunt concitare & conturbare humores, vel ſpiritus qui ſunt in corpore humano, diſiungere etiam atque diſtrahere partium compages & connexiones, qua re grauiſsimos morbos & acerbiſsimos cruciatus efficiunt; ſicut in ijs qui à Dæmonibus torquentur, cernere licet. Decimotertio: poſſunt etiam ſpiritus animales, qui interiorũ ſenſuum functionibus peragendis inſeruiunt, ita mouere & conformare, vt res quaſdam vel præteritas, vel præſentes, vel

Plinius libro 35. cap. 10.

vel futuras repręſentent: poſſunt etiam eoſdem ſpiritus, in quibus inſunt ſpecies rerum ſenſibilium, extrinſecus per ſenſus exteriores impreſſæ, vſque ad ipſos ſenſus exteriores deuoluere, ita vt etiam qui vigilant, videantur ſibi aliquid videre, audire & facere quod reuera non eſt: hoc enim videmus accidere phreneticis: quod igitur homini vi alicuius morbi contingit, dubitandum non eſt etiam id dæmonum artificio in homine effici poſſe. Decimoquarto: poſſunt dormientium phantaſmata mouere & conformare ad repræſentandum aliqua futura quę dęmones cognoſcunt eſſe futura, vt ita decipiant homines fidem habentes ſomnijs, & ex ipſis actiones humanas vel ſuas, vel aliorū cognoſcere & dirigere velint: atque hinc quidē ortum duxit diuinatio per ſomnia, cuius diuinationis exempla ſunt quamplurima apud Valerium Maximum lib. 1. & apud Ciceronem in libris de Diuinatione. Simili Dæmonum artificio, fidem & veritatem inuenit apud Gentiles Augurum & Aruſpicum diſciplina, per volatū vel garritum auium diuinans, vel per inſpectionem extorum animalium cæſorum, vel per electionē ſortium: eiuſmodi enim rebus Dæmon ſe ingerit & immiſcet, quò mentes hominum ſuperſtitionibus imbuat, & varijs erroribus implicet. Nam quod in Romanis hiſtorijs traditur, in Victimæ opimæ quam Iulius Cæſar immolauerat, extis non eſſe inuentum cor, & in alijs vel iecur, vel principem aliam partem corporis nō eſſe repertam, non alia ratione quàm Dæmonis occulta vi, partes illas ablatas eſſe credendum eſt. Decimo-

quinto:

quinto : possunt Dæmones sensus exteriores immutare & seducere dupliciter, Primo extrinsecus, obijciendo sensibus varia sensibilia non vera, hoc est, non talia qualia videntur, sed solas eorum imagines & simulachra; vel intrinsecus commouendo spiritus & humores, quorũ commotione etiam sensus exteriores variè afficiuntur & turbantur, vt non rectè iudicent de suis obiectis; id quod cernimus sensibus exterioribus phreneticorum accidere. Decimosexto: possunt varias passiones vel amoris vel odij, vel timoris vehementer excitare in homine; idq; facere dupliciter, vel obijciendo species rerum, quæ ad tales passiones excitandas plurimũ valent; vel interius mouendo phantasmata ad similes res representandas, vel agitando & accendendo humores qui sunt harum passionũ materia, nimirum vel sanguinem, vel atram aut flauam bilem. Atque hæc sunt & alia horum similia quæ Dæmones per motum localem facere possunt, & interdum quidem faciunt: neque enim quæcumque possunt facere, licet eis facere, sed quantum eis per diuinam prouidentiã permissum est. habent enim potentiam à DEO restrictam & quasi ligatam, quam eis interdum laxare solet DEVS, vel ad exercendos bonos, vt aduersus Iob; vel ad puniendos malos vt aduersus Achab & Prophetas eius. Sicut enim Dæmones, permissu DEI, ingressi in porcos, præcipitarunt eos in mare: sic homines in omnia malorum tam culpæ quàm pœnæ genera deturbarent; si eis DEVS quantam vellent potentiæ ac malitiæ suæ exercendæ potestatem faceret.

Iob 1. & 2. 3. *Reg.* 22. *Supra* 18.

PER

PER alteram porrò actionem Dæmonum, quæ non eſt motus localis eorum, ſed eum conſequitur, hoc eſt, per actiones cauſarum naturalium, quas Dæmones inuicem applicarunt & temperarunt, mira quoque Dæmones poſſunt efficere. Sunt enim ſingulares quædam virtutes occultæ & ignotæ hominibus, ſunt, inquam, in certis quibuſdam aquis, terris, ſuccis, gemmis, lapidibus, herbis, lignis, animalibus, & in ipſo hominis corpore mirabilium ac penè incredibilium operum effectrices: quarum rerum exempla, ſupra tractando tertiam quæſtionem, nonnulla poſuimus, ſed plurima reperiuntur apud Solinum, Plinium & Albertum in libris de Mineralibus & Animalibus. Hæ virtutes quibus in rebus naturalibus inſint, vbi locorum lateant, quibus cum rebus componi & miſceri ac temperari debeant, quo tempore tempeſtiuè & opportunè ad operandum adhiberi oporteat, notiſsimum eſt Dæmonibus; quas etiam vndecumque & quocumque voluerint, maxima facilitate, celeritateq; clàm homines transferre poſſunt. Huiuſmodi autem effectus, quatuor ob cauſas ſunt hominibus admodùm mirabiles. Primo quia ſunt noui & inuſitati. Secundo quia modus quo Dæmon illos molitur, eſt occultus & inuiſibilis. Tertio quia ſicut homines variè temperando & accommodando res naturales poſſunt aliquos effectus producere, quos nonnunquam per ſe cauſæ naturales produxiſſent, ſicut patet in arborum inſitionibus, in diſtillationibus aquarum, in ciborum & condimentorum confectionibus, & in medicamé-

torum

torum compoſitionibus; ſic Dæmones, effectus aliquos ſingulares, per cauſas naturales poſſunt producere, quos ipſę per ſe nunquam produxiſſent. Quarto quia vt inquit S. Thomas 3. libro aduerſus Gentes, cap. 103. & prima parte, quæſt. 110. art. 2. ad 3. cùm Angeli vel Dæmones adhibent cauſas naturales ad effectus aliquos procreandos, vtuntur eis tanquam inſtrumẽtis, non ſecus quàm medicus vtitur herbis ad ſanandũ; ex inſtrumento autem procedit effectus, non tantùm virtuti eius reſpondens, ſed etiam ea ſuperior & præſtantior, nempe reſpondens virtuti principalis agentis à quo mouetur ad operandum illud inſtrumentum; quemadmodum ſecuris nõ ſolùm ſecat, ſed etiam facit lectum vel menſam, vel hominis ſtatuam, vt eſt inſtrumentum hominis ex arte operantis: & calor naturalis qui eſt in ſemine, vel in animali, non ſolùm calefacit, rarefacit, aut ſegregat, ſed etiam generat ſanguinem carnes & oſſa, in virtute animæ vel animalis cuius eſt inſtrumentum. Sic etiam cauſæ naturales interdum producunt effectus præſtantiores ſuis ipſarum virtutibus, ex eo quod ſunt inſtrumenta Angelorum vel Dæmonum à quibus mouentur & reguntur. Poſſet igitur Dæmon plurimos morbos arte medicinæ quam homines callent incurabiles, magna celeritate ac facilitate ſanare: tum quia nouit optimè omnes morborum etiam abſtruſorum cauſas & affectiones; tùm quia ſcit omnia genera remediorum, & idoneam eorum applicationẽ; ſed non omnes tamen poſſet ſanare, quia ſunt morbi aliqui ſimpliciter incurabiles.

CAPVT VII.

QVAS RES DAEMON NEC PER Magos, nec per se ipsum possit efficere.

PER motum localem, qui est immediata eius operatio transiens, multa non potest facere Dæmon. Primo enim, vt inquit S. Thomas in Quæstionibus de Potentia, quæst. 16. art. 8. Et 3. libro aduersum Gentes, cap. 108. non potest destruere aut subuertere ipsum vniuersum; sunt enim Dæmones partes vniuersi, pars autem non habet vim atque potestatem in totum cuius est pars, & vt inquit Paulus ad Hebr. 2. *Non subiecit* DEVS *Angelis orbem terræ*. Nec possunt peruertere ordinem vniuersi, cum auctore Aristotele, bonum vniuersi sit ordo: Non possunt item perturbare, vel suis locis commouere principes partes mundi, ex quibus eius integritas coalescit. Non possunt sistere cœlum vel motum eius in contrarias partes agere. Non possunt elemẽtum aliquod ex vno loco in alienum transferre. Non possunt facere vt detur vacuum, cum vacuum tollat coniunctionem, connexionem atq; subordinationem omnium partium vniuersi, in quo eius conseruatio atque gubernatio consistit. Dixi non posse Dæmonem eiusmodi res facere, vel simpliciter, vel secundum potentiam ordinariam eis à DEO concessam, & quam eis concedi poscit æquissima diuinæ prouidentiæ ratio. Et cum Dæmones habeant vim motiuam definitam, alij quidem maiorem,

alij

alij verò minorem, non possunt quantumlibet corpus, quantalibet velocitate mouere, ne dum in instanti. Non possunt facere vt duo corpora sint simul in eodem loco, vel vnum corpus in duobus locis simul, vel vt vnum penetret dimẽsiones alterius. Nec potest Dęmon distans à corpore, illud mouere secundùm locum, quia mouens & mobile debent esse simul: alioqui posset mouere per vacuum, & per quantamcunq; distantiam. Non potest transferre corpus de extremo ad extremum, & non per medium.

MVLTA quoque sunt, quæ per alteram actionem Dæmonum quam mediatam diximus, cuiusmodi est naturalis alteratio, corruptio, generatio rerum naturalium, non possunt à Dæmonibus effici. Non enim potest Dæmon immediatè producere vllam formam substantialem vel accidentalẽ; cum enim sit incorporeus, non potest immediatè alterare materiã corpoream, vnde formę naturales educuntur. Secundo, non potest aliquid creare ex nihilo, tum quia id requirit infinitam virtutem actiuam, qualẽ DEVS solus habet; tum quia nec motus localis Dęmonis, nec operatio quam per causas naturales exercet, in nihilo recipi, aut circa nihil versari possunt. Tertio, non potest ex quolibet facere quodlibet. Quarto, nec per quamlibet causam vel instrumentum potest quemlibet effectum producere: sicut medicus non potest per quamlibet medicinam, quemlibet morbum sanare, nec artifex per quæuis instrumenta, quodcunq; voluerit opus perficere: atque hoc est quod Augustinus compluribus locis docet, nec Dæmo-

nes nec Angelos esse creatores rerum, nec posse transmutare formas rerum, nec materiam corporalem ad nutum illis obedire. Quinto, non possunt Dæmones producere formas substantiales non præuijs alterationibus & præmissis dispositionibus. Sexto, nec possent eas in instanti, aut quantumlibet paruo tempore producere. Septimo, non possunt quamlibet rem naturalem immediatè in quamlibet aliã transmutare, etiam adhibendo causas naturales. Octauo, non possunt animalia perfecta sine semine producere; quare si visi sunt vnquam vel ex lapidibus & lignis producere equos vel leones, vel ex nubibus pluere vitulos, non est putandũ sic eos fuisse generatos, sed vel aliunde inuisibiliter per Dæmones illuc translatos, vel non fuisse vera animalia, sed eorum tantum imagines & simulachra cernentium oculos fallentia. Nono, nec potest animal producere subitò secundum perfectam magnitudinem & virtutẽ eius: deniq; quod superat vires agentium naturaliũ, quodq; naturali eorum dispositioni & ordini repugnat, & ad quod virtus agentium naturalium nullo modo se extendit, id fieri à Dæmone nequaquam potest. Decimo, non potest peruertere atque immutare ordinem qui est inter formas & dispositiones rerum naturalium, vt possit posteriores inducere non inductis prioribus, aut extremas non inductis medijs. Vndecimo, non potest mortuos ad vitam reuocare propter causam supradictam. Duodecimo, non potest impedire ne agens naturale habens omnia requisita ad agendum, non agat. Disputari

posset

posset hoc loco an vlla res naturalis habere possit vim in Dæmones, expellendo eos, vel etiam actiones impediendo, propter id quod dicitur in libro Tobiæ, cap. 6. & 8. de iecore cuiusdam piscis cuius fumo fugabantur Dæmones in perpetuum, & de melodia Dauidis qua expellebatur spiritus malus à Saule. Vide 1. Reg. cap. 16. & 4. Regum, cap. 3. Lyranum & Burgensem super primum Regum, cap. 16. & ibidem Tostatum quæst. 40. Vide Iosephum octauo Antiquitatum de radice Salomonis, cuius adoratu Dæmon exibat per nares eius hominis quem tenebat. Verum hac de re nostram lector disputationem & sententiam reperiet in alio libro qui hunc proxime sequitur, & in quo eam quæstionem tractamus explanantes illa verba quæ sunt in Cantico trium puerorum: *Benedicite cete & omnia quæ mouentur in aquis, Domino.*

CAPVT VIII.

AN OPERA MAGORVM SINT VERA miracula, & quomodo à veris miraculis differant ac dignoscantur.

ADMIRANDA Magorum opera non solum Ethnici, sed etiam nostri Theologi interdum vocant miracula, vel quia verorum miraculorum sunt simillima, vel æstimatione hominum, quod ea ipsi nec facere, nec quemadmodum facta sint intelligere possunt, non naturæ, sed diuinitatis opera existimantium. Et sanè nonnulla faciunt Magi in speciem non dissimi-

Exod. 7. lia eorum quæ faciunt ſancti: namq; Magi Pharaonis ſimiliter vt Moſes, & virgas ſuas verterunt in ſerpentes, & aquam mutarunt in ſanguinem; & magnam ranarum vim ſubitò produxerunt. Sanant interdum Magi ægrotos, & Dæmones ex corporibus hominum eijciunt. Nec tamen hæc operū ſimilitudo facit vt Magorum opera vera ſint miracula; alioquin miraculum non eſſet idoneum declarândę probandęq; Deitatis atque veritatis argumentum; quare ratio fidei & doctrinæ Chriſtianæ, quæ miraculis tanquam veris diuinæ potentiæ ſigillis obſignatur, & quaſi quibuſdam fulcris quodammodo ſuſtinetur, omninò periret. Docere igitur conuenit hoc loco, cur ejuſmodi Magorum facta non ſint miracula, & quibus rebus differant, quibuſúe notis atque inſignibus à veris miraculis internoſcantur.

Quid ſit miraculū. TRIPLICITER igitur poteſt intelligi aliquid eſſe miraculum. Primo ſimpliciter & abſolutè, nempe comparatione cuiuſlibet naturæ; hac ſignificatione, nullum planè eſt miraculum: nihil enim eſt, quod diuinæ potētiæ & ſapiētiæ comparatione, miraculū dici queat. Nam miraculū alicui dicitur, q̄ eius & facultatē & intelligentiā excedit: DEVS autē nihil eſt quod admirari poſſit, quippe cum & cauſas omniū quę fiūt, optime nouerit, & ipſe princeps cauſa ſit efficiēdi omnia. Nam qui per ludum & iocum (vt eſt in Prouerbijs Salomonis) ex nihilo mundum condidit, quid ei magnum, ne dum miraculū eſſe queat? cum vt eſt apud Eſaiam cap. 40. & in libro Sapientiæ, cap. 9. Omnes gentes totusq; terrarum

Prouerb. 8.

orbis

orbis apud ipſum ſit tanquam gutta roris antelucani, & quaſi puluis, & tanquam inane & nihil. Deinde poteſt appellari miraculum reſpectu hominum, qui quæ ſunt ipſis inuſitata, & quorum cauſas ignorant, quoniam ea maximè admirantur, dicunt miracula: qua ratione non modo Dæmonum & Magorum, ſed etiam ſapientum hominum inuenta quædam noua, & artificioſa opera, qualia fuerunt illa Architæ & Archimedis, quæ ſupra cõmemorauimus, miracula nominantur. Sed verè ac propriè miraculum, dicitur opus quod ideo verè ac meritò mirandum eſt, quia omnis naturæ creatæ vim atque poteſtatem excedit. Hoc autem multis modis poteſt euenire: namque exceſſus naturæ creatæ, vel eſt in eo quod fit, quale nullo modo natura poteſt facere; cuiuſmodi eſt, vt duo corpora ſimul ſint in eodem loco, & ſe permeent, vel vt corpus humanum euadat immortale, impaſsibile & glorioſum: atque hæc tenent primum locum & gradum in miraculis. Vel exceſſus eſt non in eo quod fit, ſed in eo vel ex quo vel in quo res fit: poteſt enim natura producere aurum vel arborem, ſed non ex nihilo; poteſt dare vitam, ſed non mortuo; poteſt item facultatem videndi largiri, ſed non nato cæco: & hęc ſecundum locum in miraculis tenent. Vel exceſſus nec eſt in eo quod fit, nec in eo ex quo aut in quo fit, ſed vel in modo, vel in ordine, vel in alia quapiam circumſtantia, alijſúe rebus cum quibus omnibus naturaliter opus illud fit; Exempli cauſa, poteſt medicus ſanare ægrotum, verùm non ſubitò, nec abſq; medicina: poteſt

Tres gradus Verorum miraculorum.

Magus vel Dæmon, vel etiam natura ex ligno producere ſerpentem, verùm non immediate: atque hic eſt infimus miraculorum gradus & locus. Sed quia hæc breuiter diximus, vereor ne obſcurè dicta ſint; quare quò melius intelligantur, latius explicabuntur. Dæmonum & Magorum miracula non vera, differunt à veris miraculis, quæ in ſcripturis & hiſtorijs Eccleſiaſticis, à ſeruis DEI facta legimus, his quinque modis; Dignitate virtutis efficientis, Qualitate eorum qui faciunt, Diuerſitate factorum, Modo faciendi, & Fine cuius gratia fiunt vera miracula, cum (vt ſupra diximus) omnis naturæ creatæ vim exuperent, ſolius DEI poteſtate poſſunt effici: nam quamuis per Angelos vel ſeruos DEI fieri videantur; illi tamen non agunt virtute ſua, ſed DEI cuius ſunt adminiſtri & tanquam inſtrumẽta. Magi autem opera ſua faciunt, vel virtute quarundam rerum naturalium quibus vtuntur occultè; vel opera Dæmonum, qui clàm Magis auxiliantur. Vera miracula licet interdum faciant etiam homines mali; rarò tamen, nec niſi ad confirmationem veritatis, & diuinæ virtutis declarationem; ferè autem magi homines ſunt flagitioſi & malefici, quos proinde diuinis humanisq; legibus conſulere & adire prohibemur. Quæ faciunt Magi, vel ſunt tantum phantaſtica & ſimulata, & ideo nec diuturna; vel ſunt pernicioſa, vel inutilia: vera autem miracula, ſunt opera ſolida & vera, vtiliſsima hominibus, & non niſi magna aliqua neceſsitate & vtilitate facta. Magi opera ſua faciunt, vel per cauſas naturales, vel ope Dæmonum, vtuntur multis præſtigijs,

Quinque differentiæ verorum miraculorum à falſis & ſimulatis.

gijs, mendacijs, ludificationibus hominum, figuris, characteribus, verbis vel nihil, vel absurda significantibus, alijsq; superstitiosis ceremonijs; miscentq; sacra profanis: namq; nonnulla verba sacra quæ vsurpant, adiunctis superstitionibus fœdant & contaminant. Docent enim ea dici debere sub certo quodam constellationum situ, certoq; loco & tempore, toties signo crucis facto, tot candelis accensis adhibitis, vel filis, aut velis, aut chartis, quas vel pueri vel virgines tantum tetigerint: adhibent etiam quædam, quæ nihil prorsus ad effectum producendum pertinent, sed ridiculam habent vanitatem. dicunt enim oportere tali hora & toties, & tali aqua lauare faciem, radere capillos; hac, vel illa veste indui. Sed quod impietatis plenissimũ est, sanguinem ex humano corpore mittunt, eoq; libamina quædam consecrant, nomina quorundam dæmonũ vsurpant, quibusdam animalibus familiariter vtuntur, & cum eis colloquũtur, Dæmonibus sacrificant, nomen & fidem CHRISTI abiurant, prohibent homines signare se signo crucis, & alia faciunt partim superstitiosa, partim ridicula, partim penitus execranda. Nihil tale sancti faciunt edendis miraculis, sed vel interiore vel etiam exteriori supplicatione & inuocatione diuinæ virtutis, vel facto signo crucis, vel aliquibus verbis sacris recitatis, miracula operantur. Ad extremum, cur vel Dæmones vel magi faciant illa sua miracula, nõ est obscurum; nimirum vel lucri, vel gloriæ & honoris cupiditate, sibi diuinum nomen & cultum aucupantes; vel vt veritatem peruertant & falsita-

tem hominibus perſuadeant; vel ad patranda maleficia, veluti furta, adulteria, homicidia. Sancti autem faciunt miracula, non ſua cauſa, cum & diuitias contemnant, & honores fugiãt; ſed vt DEVM honorent, Eccleſiam ædificent, homines q; non ſolum corpore, ſed multo etiam magis animo iuuent. Qui igitur ſanæ mentis eſt, & ſtudioſus veritatis amatorq; virtutis, non erit ei difficilè vera miracula à falſis diſcernere: qui autem flagitioſè viuit, & CHRISTI doctrinam odit, nec ſtudio veritatis, ſed vanæ curioſitatis cupiditate miracula quærit; is iuſto DEI iudicio permittitur, vt quia veritati conſentire & acquieſcere noluit, circumueniatur mendacijs & falſis miraculis perſuaſus, peruerſam doctrinam falſaq; dogmata, pijs verisq; repudiatis, amplectatur. Hoc eſt enim quod docuit beatus Paulus in 2. epiſt. ad Theſſal. cap. 2. præmonés venturum Satanam vel Antichriſtum in omni virtute, in ſignis & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis; nõ quidem omnibus, ſed ijs qui charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. his enim mittet DEVS operationem erroris vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.

CAPVT IX.

QVOTVPLEX SIT MAGIA.

VARIAS Magiæ ſpecies, ne hanc artem in totum vel commendemus, vel damnandã execrandamq; exiſtimemus, & ne hoc inſtitutæ tracta-

tractationi desit, vel tantum indicare conuenit. Ac primò, quam alij Magiæ varietatem tradiderint, ostendamus. Plinius lib. 30. cap. 2. complures Magiæ species ab Osthane principe eius artis doctore traditas esse commemorat. Namque, ait, & ex aqua, & ex sphæris, & ex aëre, & stellis, & lucernis ac peluib⁹, securibusq; & multis alijs modis, diuina promittit: præterea vmbram, inferorumq; colloquia. Hæc ibi Plinius. Sed Iamblicus in libro suo de Mysterijs Ægyptiorum, Proclus in libro de Sacrificio & Magia, & Porphyrius in libro de Sacrificijs duplicem faciunt Magiam, sicut etiam ex Porphyrij doctrina refert beatus Augustinus lib. 10. de Ciuitate DEI, cap. 9. Alterum vocant Theurgiam, nempe bonam & laudabilem, qua certis quibusdam hostijs & sacrificijs, munditia quadam animæ & corporis alijsq; sacris cęremonijs, bonos ac benesicos dæmones inuocant, quorum afflatu & auxilio, & occulta manifestant, & futura prænunciant, & mira edunt opera, quæ supradicti scriptores miris laudibus in cœlum efferunt. Alteram appellant Goëtiam, & Necromantiam quę mortuos excitat & consulit, & per eos responsa de rebus occultis vel futuris reddit. Dicitur Goëtia à planctu, quo circa mortuorum sepulchra eorum animæ ex inferis euocantur: Necromantia verò, quia sit diuinatio ex mortuis euocatis petita. Suidas autem distinguit Magiam, quam ait Persarum esse inuẽtum, in Goëtiam, Magiam proprie dictam, & Pharmatiam. Magia, inquit, est inuocatio Dæmonum, scilicet beneficorum ad aliquod bo-

Varia ſpecies Magiæ.

num

num conficiendum; cuiuſmodi Apollonij Tyanei prædictiones fuerunt. Goëtia fit per coactionem & inuocationem mortuorum; ſic enim dicta eſt à planctu qui fit circa ſepulchrum. Pharmatia verò fit, cum aliquid porrigitur alicui ſumendum ore, quod mortem ei ſit allaturum; vel vehementes aliquas perturbationes & mutationes, aut corporis aut animi in eo ſit effecturum, certis incantamentis præparatum. Hæc Suidas.

NOBIS autem omnes Magiæ ſpecies hac ratione & ordine diſtingui poſſe videntur. Magia, alia eſt Naturalis, quæ per res naturales ſingulari quorundam hominum artificio adhibitas mira facit: Altera eſt non naturalis, quæ Dęmonum inuocatione & ope vtitur ad operandum. Hæc in Theurgiam & Goëtiam & Necromantiam, de quibus paulò ante diximus, rectè diuiditur. Nam ſi quæ ſunt aliæ, ad has ſpecies commodè reuocantur. Illa, quam naturalē diximus, partim eſt phyſica, cui⁹ nomine mediciná etiã complectimur, quæ circa occultas rerũ naturaliũ virtutes, rerũ mirabiliũ effectrices, verſatur; partim eſt Mathematica; cuius excellenti peritia, quàm mira fecerint Architas & Archimedes, ſupra cõmemorauimus. Rurſus Magia tam naturalis, quàm non naturalis, bipartito diuiditur: altera enim habet veros & naturales effect⁹; altera ſimulatos tantùm, nec tales reuera quales videntur: hanc vno vocabulo Præſtigiatricem appellamus, ſuis enim pręſtigijs adeo pręſtringit & eludit ſenſus humanos, vt faciat videre quæ non ſunt, & non videre quæ ſunt; idq; vel interuen-

teruentu & adminiculo Dæmonum, vel operatione naturalium agentium, vel incredibili tractu atque agitatione manuum. Itaque qui edit panem, videtur farinam spuere: qui vinum bibit, per frontem aut iugulum id reijcere; videntur gladij vorari; ingens vis euomi acuum minorum, & zonularum, quarum rerum circulatores miri sunt artifices. Hæc diuiditur in Opticam, & Pharmaticam: illa, manuum, digitorum aliarumq; partium corporis incredibili agilitate & motione, defixum in res obtutum spectantium frustratur; hæc collyrijs, suffumigationibus, alligationibus, potionibusq; sensus interiores & exteriores ita perturbat, vt secus quàm reuera est, iudicent de sensibilibus exterioribus. Vtitur etiam illa prior laminibus, annulis, imaginibus, speculis vario situ varioque modo positis & transpositis.

MAGIAE porrò Naturali, quidam duas alias species adiungunt, alteram vocant Astronomicam, alteram Cabalisticam, quæ an sint meræ nugæ & quorundam hominum commenta, an reuera aliquid solidi habeant & præstent, nunc paucis diiudicandum est. Astronomicam appellant, quę certas quasdam imagines & figuras, annulos, sigilla, statuas & alia quædam horum similia fabricatur, in quibus, eius cultores & defensores affirmant, cœlestium corporum virtutes & influxus recipi, receptosq; miros effectus præstare. Sed hæc vana sunt, nec modo à christiana veritate & pietate, sed etiam à philosophica ratione & disciplina longè remota. Virtus enim cœlestis per se vniuersalis est & indeterminata

Contra Magiam Astronomicam.

nata ad hunc vel alium quemlibet effectũ producendum; determinatur autem per causas naturales particulares: Illę autem imagines & figuræ astronomicæ, non sunt causæ naturales, nec habent vim, aut efficiendi quippiã, aut præparandi materiam ad hunc vel illum effectum recipiendum. Deinde cœlum naturaliter operatur; illæ autem imagines sunt ingenio & artificio hominũ inuentę, & pro eorum arbitrio adhibitæ; non igitur per illas, virtus cœlestis modificari aut determinari potest. Postea, lignum quocunque modo figuretur, non potest in se recipere immediatè formam equi vel leonis; nec vitrum aut aurum formam plantæ: multo igitur minus huiusmodi materiæ, propterea quod ab ipsis Astronomis variè figurentur, idoneæ habilesq; reddentur ad certas quasdam virtutes siderum recipiendas, & ad aliquos mirabiles effectus producendos. Adhæc, quæ est naturalis conuenientia illarum Astronomicarum imaginum cum cœlo? neque enim est vel secundum figuram, vel secundum naturam, vel motum vel qualitates; quomodo igitur res naturales sine ipsis figuris non sunt idoneæ ad diuinos illos siderum influxus accipiendos, signatæ autem & adornatæ istis imaginibus, statim fiunt idoneæ? His accedit, quod insignia visu effectuq; sidera, si Mathematicis demonstrationibus credimus, ampliora sunt quàm vniuersa terra; quomodo igitur influxus illorum ad vnam imagunculam astronomicam restringitur, vt non etiam per alias res quamplurimas tali figura carentes diffundatur? Nullus igitur nouus effectus ab huiusmodi

iusmodi Magia astronomica proficiscitur; & si quis fortè ceruitur aliquando, is non earū imaginum aut siderum potentia, sed occulta dęmonum opera, quò eiusmodi fraudibus mortales circumueniant, proficiscitur.

CAPVT X.

DE MAGIA CABALISTICA.

SED venio ad Cabalisticam, quam Philosophi quidam Iudęorum, & de nostris nonnulli vanitatis magis quàm veritatis studiosi, & res curiosas atque inauditas quàm veras & solidas discendi auidiores, affirmant scientiā esse Mosi primùm à DEO in monte Syna traditam; deinde non quidem literarum monumentis, sed ore tenus à prioribus, per quandam veluti manuum traditionem & receptionem, posteris traditam, adhuc fuisse conseruatam: ideoq; dictam esse cabala, quod verbū Hebraicè idem sonat quod Latinè recipio; nimirum eam doctrinam posteriores à prioribus ore tenus auditione accipiebant, & animo memoriaq; custodiebant: qua etiam ratione ferunt veteres, disciplinam Pythagoricam multis sæculis esse conseruatam. Complectitur autem hæc Magia Cabalistica vniuersam Philosophiam, diuinam & humanam, nec non & naturalem: omniumq; rerum doctrinam mysticè ac symbolicè continet; nō eam, more aliarum humanarum disciplinarum, rationibus & argumentis disputationibusq; tractans, sed numeris, figuris, ac Symbolis: itaq; in ea singulæ literæ, figuræ, nomina, elementa, apices,

pices, lineæ, puncta, accentus, ſpiritus, & ſi quid aliud eſt minutius, profundiſsimam quandam & abditiſsimam ingentium rerum ſignificatricem doctrinam habent. Hanc Magiam qui benè teneat, eum nihil non pollere aiunt, omnia ſcire & præſcire, naturæ imperare, cunctasq; res ei obedire; hac Moſen prodigia illa feciſſe in Ægypto & in deſerto; hac Ioſue, Eliam, Eliſæum, Iſaiam, Danielem, Samuelem tot tantaq; feciſſe miracula. Dicunt enim, nomina quæ DEVS per Adamum cunctis rebus ſecundum ſuas cuiuſq; rei proprietates impoſuit, fuiſſe Hebraica, quibus rerum omnium ſubſtantiæ, qualitates & proprietates exprimantur: quocirca his nominibus naturales res appellanti, confeſtim res omnes ſe illi ſubijciunt, & eius obſequio ſe totas addicunt. Huius amentiæ expers non fuit VViclef, qui vt memorat Thomas VValdenſis in opere ſuo de Sacramentalibus, dixit, in ſtatu innocentiæ Adam impoſuiſſe nomina animalibus ſecundùm naturales eorum proprietates; quibus nominibus appellata ab homine, ſtatim ei obediuiſſent, eiuſq; omnia iuſſa feciſſent: & huius rei reliquias remanere in exorciſtis & incantatoribus, & ad id magnam vim habere voces hebræas. Cuius ſententiæ doctam copioſamq; refutationem lege apud ipſum VValdenſem.

Exod. 7. & ſeq.

Gen. 2.

Refellitur Cabaliſtica ars.

VERVM adeo eſt inerudita, inſulſa & ridicula hæc Cabaliſtarum opinio, vt nihil æquè mirum ſit quàm vlli hominum ſanæ mentis aliquando eam probari & perſuaderi potuiſſe, ſed ita eſt profecto, ſunt ingeniorum ſimiliter vt hominum monſtra quædam, & portenta è quibus eiuſmodi

eiuſmodi opinionum cõmenta & deliramenta proficiſcuntur. Principiò, nonné incredibile eſt, Solem & Lunam & cætera aſtra, elementa item & ſtirpes cùm ratione careant, diuinam illam vim quæ latet in vocibus hebræis ſentire, eaq; ſic affici & permoueri, vt homini pro eius arbitrio pareant? Sed eſto, nouerint illam vim, vel omnes res naturales, vel certè animãtes aut homines; num ideo eiuſmodi nominum appellatione eas continuò moueri neceſſe eſt? Si quis mihi proponeret nomen, totam meam ſubſtantiam omnesq; proprietates perfectiſsimè declarãs, num eo nomine appellatus ab illo, cogerer eius imperio obſequi & quæcunque ille vellet, facere? Si reconditiſsimam illam vim & efficaciam vocum hebræarum quam iactant Cabaliſtæ, pauciſsimi hominum intelligunt, nec niſi qui illa eâdem ante ſunt initiati, quomodo eam agnoſcent & ſentient bruta, cęteraq; non ratione modo ſed etiam ſenſu carentia? Cur tribuunt tantam vim vocibus & characteribus hebrææ linguæ, quam omnium vetuſtiſsimam & primam ferunt, cum certè conſtet alios eſſe characteres hebræos qui nunc extant, quàm qui olim fuerant ante captiuitatem Babylonicam? quod beatus Hieronymus in Prologo galeato affirmate ſcribit. Certum, inquit, eſt, Eſdram poſt captam Hieroſolymam, & reſtaurationem templi ſub Zorobabele, alias literas reperiſſe, quibus nunc vtimur, cum ad illud vſque tempus ijdem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. Nec verum eſt, in lingua hebræa reperiri voces quæ omnium rerum natu-

ras, infimasq; differentias & proprietates exprimant; nec in declarandis rebus vberior est aut significãtior hebræa lingua quàm græca vel latina: nec vllum est nomen in vlla lingua, quod simul alicuius rei & substantiam & differentias atque proprietates tam genericas quàm specificas atque indiuiduales aperiat: nec in vocibus hebræis per se sumptis, plura maiorave latent mysteria, quàm vel in Græcis vel in Latinis. Legimus in scriptura, quomodo Moses & Aaron per virgam eis à DEO traditam plurima maxima*q*; fecerint prodigia. Legimus Iosue retinuisse cursum Solis & Lunæ, cùm dixisset: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. Stetitq; sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei. Nec fuit antea & postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis & pugnante pro Israël.* Narrantur etiã Samuelis, Eliæ, Elisæi & Danielis miracula, nec tamen vsquam de istis Cabalisticis mysterijs vlla mentio aut verbum fit; si tanta est Cabalisticæ Magię vis & potestas, vt cœlis imperet, solem sistere aut retrocedere cogat, maria diuidat, flumina siccet, totamq; naturam commutet, & sibi ad nutum obedire faciat, cur isti sapientes Cabalistæ, eius artis peritissimi, talia nunquam patrarunt, vel etiam nunc patrare possunt? Certè Philosophi Iudæorum qui sibi hanc sapientiam arrogant, si quid ea pollerent, ad excutiendum iugum durissimæ seruitutis, quo miseri iam mille & quingentis annis oppressi tenentur, vti debuissent.

Iosua 10.

CAPVT

CAPVT XI.

DE NECROMANTIA.

DE Necromantia nõnihil dicamus, vt qualis quantaúe ſit eius vis, vel potius fraus & fallacia, oſtendamus. Necromantici profitentur ſe animas mortuorum euocare poſſe, ex ijsqúe cognoſcere multa quæ ſunt occultiſsima, vel etiam futura; animas autem mortuorum, præſertim eorum qui flagitiosè vixerũnt, aut violenta morte de vita deturbati ſunt, Magis eas inuocantibus adeſſe, reſpondere, multaq; manifeſtare, docet Porphyrius lib. 2. De Abſtinentia animalium. nam cum de prauis & fallacibus dæmonibus dixiſſet, mox ſubdit hæc de animabus: Tales, inquit, ſunt & animæ mortuorum, quæ vitijs oppletæ è corpore migrarunt; conflictantur enim etiam tunc, iræ & concupiſcentiæ perturbationibus, & in naturam conuerſæ dæmonum, ſimiles illorum redduntur, noxiæ ac turbulentæ; in varias ſe vertunt formas, ac modo conſpicuas ſe oculis præbent, modo recondunt, & ita eludunt aciem tum intuentium, tum etiam cogitantium. Et quodam alio loco: Praua, inquit, anima quæ corpus ſuum violenter reliquit, expoliata ad hoc ipſum deinde ſe admouet, ibiq; moras trahit. Vnde nonnunquam viſæ ſunt animæ lamentari: nam animæ carentium ſepultura, circa corpora immorantur, quibus malefici ſæpius abutuntur ad miniſterium ſuum explendum, compellentes animas à poſitione corporis vel partis cuiuſdam aſſumptione. Quocirca qui vaticinantium animalium inſinuari

Porphyrius de reuocatione animarum ex inferis.

sinuari sibi animas optant, præcipua illorum membra deglutientes, veluti ceruorum vel talparum, vel aliorum accipiunt, & ita præsentem sibi faciunt animam, DEI ritu vaticinantem: talis enim anima vnà cum sui corporis integra sumptione, in corpus humanum se penitus ingerit. Hæc Porphyrius.

An fuerit verus Samuel qui per Phytonissam repsentatus est Saulis.

MAGNAM sanè huic arti fidem facere videtur, quod legitur primi libri Regum, capite vigesimo octauo Pythonissam rogatu regis Saulis, excitasse à mortuis animam Samuelis, fecisseq; vt Sauli de euentu impendentis belli consulenti, quæ mox ei euentura erant prænunciaret. Et quidem beatus Augustinus libro 2. ad quæstiones Simpliciani, respondens ad tertiam quæstionẽ, & in libro de octo Dulcitij quæstionibus, quæstione sexta disputat in vtramque partem, an fuerit ille verus Samuel, an potius Dæmon specie & figura Samuelis; propensior tamen est ad credendum, illum non fuisse verum Samuelem, sed eius imaginem & simulachrum, arte diabolica formatum, & aspectui Saulis præsentatum: appellari autem in scriptura Samuelem, quòd illum habitu, specie & authoritate repręsentaret. Non enim rarò tum in communi hominum loquendi consuetudine, tum in sacris literis rerum imagines & simulachra, nominibus ipsarum rerum appellantur. Hoc idem citra dubitationem vllam traditur in libro secundo de Mirabilibus sacræ scripturæ, cap. 2. & in libro Quæstionum veteris & noui Testamenti quæst. 27. qui libri, nomine beati Augustini in eius Operibus numerantur. Tertullianus

tullianus in libro De Anima, nõ ſolùm hoc probat, ſed contrariam ſententiam omninò improbat: nam loquens de Samuele, hæc ſcribit: Ecce hodie eiuſdem Simonis hæreticos tanta præſumptio artis magicæ extollit, vt etiam Prophetarum animas ab inferis mouere ſe ſpondeant: & credo, quia mendacio poſſunt; nec enim Pythonico tunc ſpiritui minus licuit animam Samuelis effingere, poſt DEVM mortuos conſulente Saule. Abſit autem vt animam cuiuſquã ſancti, nedum Prophetæ, à dæmonio credamus extractam, certi quod ipſe Satanas transfiguretur in angelum lucis, nedum in hominem lucis, etiam Deum ſe aſſeueraturus, ſignaq; portentoſiora editurus, ad euertendos, ſi fieri poſsit, electos. Hæc Tertullianus. Quibus verbis alijsq; proximè conſequentibus apertè docet nõ fuiſſe illum verum Samuelem. S. Thomas prima parte quæſt. 89. art. 8. & ſecunda ſecundæ quæſt. 95. art. 5. ad 2. & quæſt. 174. artic. 5. ad 4. dubitanter de hoc loquitur, ſecutus nimirum Auguſtinum: idemq; fit in Decretis 25. Quæſtione 5. cap. Nec mirum. Sed vt Lyrano & Toſtato, & ni fallor etiam, B. Auguſtino, lib. De cura pro mortuis agenda, cap. 15. Sic etiam mihi probabilius eſt, immò certum eſt, fuiſſe verã animam Samuelis quæ Sauli apparuit, exercente quidem Pythoniſſa artem ſuam magicam, ſed non eius artis vi & potentia, ſed DEI imperio ab inferis excitatam, quæ diſpenſatione diuina Pythoniſſam & Saulem latente, oſtendit ſe aſpectibus iniqui regis, diuina eum ſententia percuſſura; vt impius rex, quæ poſt mortem ſupplicia ſuæ impietati

2. Cor. 11.

pietati debita paſſurus erat, iam tum acerbiſsimo doloris ſenſu præguſtaret. Nec ad hoc probandum aut perſuadendum opus eſt teſtimonijs vel argumentis, cum id in ſacra Scriptura perſpicuè traditum ſit. Nam in libro Eccleſiaſtici, cap. 46. ſic eſt: *Et poſt hoc dormiuit Samuel, & notum fecit regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem illius de terra in prophetia, delere impietatem gentis.* Et ſanè B. Auguſtinus libro illo De cura pro mortuis agenda, & S. Thomas ſecunda ſecundæ non obſcurè ſignificant, ſi liber Eccleſiaſtici tanquam ſacer & canonicus recipiatur, neceſſariò ſentiendum eſſe, verum Samuelem apparuiſſe Sauli. Loquuntur autem illi conditionaliter de auctoritate libri Eccleſiaſtici, non quod nõ eum ꝓ ſacro & canonico haberẽt; ſed quia nec Hebræi eum recipiunt & reponunt in libros Canonicos, & quidam Catholicorum olim, de eius auctoritate dubitarunt. Quare nobis vt de eius libri fide & auctoritate, ſic nec de vero Samuele Sauli poſt mortem prophetãte, dubitare licet. Nec obſtat huic ſententiæ, quod ille Samuel dixiſſe legitur Sauli: *Cras tu & filij tui mecum eritis*; cùm certum ſit diuerſas eſſe ſedes poſt mortem, bonorum & impiorum, & in Euangelio legatur Abraam dixiſſe illi epuloni, inter ſe, & ipſum, maximum & intranſibile chaos intercedere: hoc, inquam, non obſtat. Nam illa verba Samuelis, vt benè interpretatur S. Auguſtinus reſpondens ad tertiam quæſtionem Simpliciani; non ad æqualitatem fœlicitatis, ſed ad ſimilem conditionem mortis referri debent:

Lucæ 16.

debent: vt sit sensus; Cras & non amplius eris inter viuos, sed inter mortuos, inter quos ego sum, quin etiam & tunc, & vsque ad CHRISTI Domini resurrectionem, omnes tam boni quàm mali, apud inferos, licet sedibus discluſi, detinebuntur.

SED redeo ad Necromantiã, quæ olim multis locis & apud multas gentes celebratissima fuit. Osthanes apud Plinium lib. 30. cap. 2. huius artis nobilissimus professor, promittebat quorumlibet mortuorum excitationes & colloquia cum viuis: & sanè maioris est admirationis, quod extremo illo capite subdit Plinius: Adolescẽtibus nobis, inquit, visus Apion grammaticæ artis, prodidit Cynocephaliam herbam, quæ in Ægypto vocaretur Osyrites, diuinã non in viuos modo, sed etiã in mortuos habere potentiam, eaq; se euocasse vmbras ad percũctandum Homerum qua patria quibusq; parentibus genitus esset. Cicus Asculanus in commentarijs quos in sphæram edidit, nominat librum qui olim extabat, & inscribebatur SCRIPTVRA CHAM; opus magicæ ac maleficæ impietatis plenum, continens elementa & praxim Necromãtiæ. Tertullianus lib. De Anima, vbi de inferis & defunctorum euocatione differit: Publica, inquit, iam literatura est, quæ animas etiam iusta ætate sopitas, etiam proba morte disiunctas, & prompta humatione dispunctas, euocaturam se ab inferorum incolatu pollicetur. Fuerunt quondam multa apud varias gentes loca, Necromantiæ vsu nobilitata, vbi & à defunctis oracula & responsa petebantur. Homerus lib. 11.

Antiquus Necromãtiæ vsus.

Odyſſeæ Cymmericum oraculũ ad Auernum Campaniæ lacum celebrat, quo Vlyſſes conceſſit, vt Thyreſiam de reliquo itinere ſuo conſuleret, cuius etiam meminit Strabo libro quinto Geographię. Teſprotium in Epiro Orpheus celebre fecit, in eo manes cantu permulcendo, & Euridicę coniugi ad ſuperos reditum impetraſſe creditum fuit. Vnde Virgilius libro ſexto Æneidos:

Si potuit manes accerſere coniugis Orpheus,
Treïcia fretus cythara fidibuſq́ canoris.

Apud Lucanum Erictone venefica Theſſala mortuum euocat, qui Sex. Pompeio exitum Pharſalicæ pugnæ denunciet. Phigaria Arcadiæ ciuitas, habuit huiuſmodi Necromantas, à quibus occulta & futura ſciſcitari vſitatum fuit. B. Auguſtinus lib. 9. de ciuitate DEI, cap. 11. citat Apuleium affirmantem animas hominum dæmones eſſe; & ex hominibus fieri lares, ſi meriti boni ſunt; Lemures autem aut laruas, ſi mali; qui nullis bonis ſedibus in terra vagatione puniuntur, inane terriculamentum bonis hominibus, cęterùm noxium malis. Cum verò incertum eſt quæ cuiq; ſortitio obuenerit, vtrum lar ſit an larua, manes deos nominant, & fanis atq; cęremonijs vulgo admittuntur, vt oracula reddant, vt in Bœotia Amphiaraus, in Africa Mopſus, in Ægypto Oſiris, alius alibi gentium, Æſculapius vbique. Hæc ex Apuleio: quem ibi Auguſtinus verè grauiterq; refellit. Et apud Tertullianum in libro De Anima ſic habes; Noſomanas propria oracula, apud parentum ſepulchra manſitando captare, Eraclides ſcribit. Cel-

tas

tas apud virorum fortium buſta, eâdem de cauſa abnoctare, Nicander affirmat.

VERVM has omnes mortuorum, quæ arte Necromantica fiunt, apparitiones, vanas & fallaces eſſe non eſt dubitandum: pleraſq; enim ab ipſis Necromantis alijſúe fictas eſſe compertum eſt. Si quę autem reuera contigerunt, in his exiſtimandum eſt, nõ animas defunctorum apparuiſſe viuis, ſed ipſos Dęmones tales ſe oſtendiſſe Necromantis, vel eos conſulentibus, tales, inquã, habitu, ſpecie, ętate, voce & affectu, quales fuerant olim mortui, cum inter viuos verſarentur. Hanc ego opinionem vt proculdubio veram putem, rationibus teſtimonijſq; & experimentis adducor. Ratio nec obſcura nec ſanè infirma ſit ea, qua S. Thomas prima parte queſt. 117. art. 4. hoc ipſum confirmat. Non poteſt, inquit, anima ſeparata, naturali virtute ſua, mouere aliquod corpus: cũ enim ſit naturalis forma humani corporis, non habet vim mouendi ſecundum locum, niſi corpus quod informat & viuificat: nam etiam cum eſt vnita corpori, ſi ſit aliquod membrum mortificatum, non obedit animę ad motum localem. Quare animę defunctorum, nec aſſumere corpora, nec cum illis ad viuos venire poſſunt. Deinde, Necromãtę non habent vim & imperium in animas defunctorũ quę ſunt in cœlo, nec quę ſunt in Purgatorio; non enim conuenit aut decet animas ſanctorum, impijs Necromantarũ artibus ſubiacere: neq; in animas quę ſunt in inferno; nam cum illuc ſint à DEO tanquam in carcerem detruſę, vt ęternas ſcelerum ſuorum pœnas luant,

Confutatur Necromantia.

Argumentatio beati Thomæ cõtra Necromantiam.

nulla inde vi possunt efferri, nec nisi DEI mandato egredi: nõ est autẽ credibile, DEVM id concessurum Necromantis, per quos Dæmon satagit mortales decipere, & à veri DEI cultu auertere: sic enim DEVS artem Necromanticam & per se infamem, & toties à se in sacris literis, reprobatam, extremoq; mortis supplicio cõdemnatam, non solum honoraret, sed etiam fide cultuq; apud mortales dignam redderet. Profecto, si cui mortuorum reditus ad viuos concedendus fuit, videbatur concedendus diuiti illi, cuius mentio fit apud Lucam cap. 16. qui obnixe rogabat Abraam, vt de ijs qui simul erant in inferno, aliquẽ mitteret ad amicos cognatosq; suos monendos, vt benè viuendo, diras, & perpetuas inferni pœnas euaderent; nec tamen ei concessum est. Non inficior, animas quæ sunt in Purgatorio, nonnunquam apparuisse viuis: id enim B. Gregorius in quarto libro Dialogorum nonnullis & quidem certis probat exemplis. Nec equidem nego, etiam animas beatas vel Martyrum, vel aliorum Sanctorum, descendere in terras hominibus eorum auxilium implorantibus, opem & solatium laturas: id enim confirmat B. Augustinus in lib. De cura pro mortuis agenda, cap. 16. exemplo B. Felicis Nolæ Episcopi, quem ciuibus suis Nolanis, cum à Barbaris oppugnarentur, apparuisse & subuenisse, affirmat Augustinus, se non incertis rumoribus, sed certis testibus audiuisse: Hæc, inquam, non nego; sed aio animas mortuorum, cum apparent viuis, non id facere sua voluntate & arbitratu, nec naturali potestate, multoq; minus vi & potẽtia artis

tis Necromanticæ, ſed id fieri ſingulari quodam DEI conſilio, voluntate ac poteſtate. Nec animas defunctorum intereſſe rebus viuorum, minus eſt miraculum ſecundum B. Auguſtinum loco ſupra dicto, & ſecundum B. Thomam prima parte, quæſt. 89. art. 8. ad 2. quam vel illuminatio cæci, vel alia quæ in magnis DEI miraculis numerantur. Adſcribam hîc in hanc ſententiam B. Auguſtini verba ex eo loco quem proxime indicaui: Verùm iſta, inquit, diuinitus exhibentur, longè aliter quàm ſeſe habet vſitatus ordo, ſingulis creaturarum generibus attributus. Non enim ideo putandum eſt viuorum rebus quoſlibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam ſanandis vel adiuuandis Martyres adſunt: ſed ideo potius intelligendum eſt per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus intereſſe, quoniam defuncti per naturam propriam, viuorum rebus intereſſe nõ poſſunt. Hæc Auguſtinus.

Auguſtini obſeruanda ſententia.

SED audiamus Tertullianum qui in libro De Anima, vbi de inferis & animarum euocatione agit, hanc noſtram ſententiam grauiſsimis diſertiſsimisq; verbis comprobauit: Necromantia, inquit, ſecunda eſt idololatria, in qua ſe Dęmones perinde mortuos fingunt, quemadmodum in illa deos. Quid ni? cum & dij mortui ſint? Itaque inuocantur quidem defuncti, ſed Dæmones operantur ſub eorum obtentu. Hanc autem fallaciam Diaboli ſub perſonis defunctorum deliteſcentis (ni fallor) etiam rebus probamus, cum in exorciſmis noſtris, interdũ Dæmon aliquem ſe ex hominibus affirmat, interdum

Notabilis Tertulliani ſententia.

dum gladiatorem vel beſtiarium, ſicut & alibi Deum, nihil magis curans quàm hoc ipſum excludere quod prædicamus, ne credamus animas vniuerſas malorum ad nihilum redigi; vt & iudicij & reſurrectionis fidem turbent. Et tamen ille Dæmon, poſtquam circumſtantes circumuenire tentauit, inſtantia diuinæ gratiæ victus, id quod in vero eſt, inuitus confitetur: Sic etiã in Necromantia quæ iam quieſcentes animas euellere ab inferis creditur, & conſpectui exhibere, non alia fallaciæ vis eſt, operatior planè, quia & phantaſma præſtatur, & corpus effingitur, nec magnum illi exteriores oculos circumuenire, cui interiorem mentis aciem excæcare, perfacile eſt. Nulli autem animæ omninò inferos patere, ſatis Dominus in argumento illo pauperis requieſcentis & diuitis ingemiſcentis, ex perſona Abrahæ ſanxit, non poſſe relegari renunciatorem diſpoſitionis infernæ, quod vel tunc licere potuiſſet & Moyſi, & Prophetis crederetur. Sed etſi quaſdam reuocauit DEI virtus in documentum iuris ſui, non idcirco communicabitur fidei & audaciæ Magorum & fallaciæ ſomniorum & licentiæ poëtarum: nam in hac mortuorum reſurrectione qua DEI virtus in corpora animas repræſentat, ſolida & contrectabili & ſatiata veritate præiudicatum eſt hanc eſſe formam veritatis, vt omnem mortuorum exhibitionem incorporalem, præſtigias iudices. Hæc Tertullianus. Simulant igitur Dæmones, animas defunctorum ſecundum Auguſtinum & Chryſoſtomum, quorum teſtimonia loco ſupra dicto memorat S. Thomas, quo facilius errores

Luce 16.

Cur Dæmones ſimulent

Genti-

Gentilium animis hominum inferat ad eos decipiendos. Primùm enim sic Dæmon facilius homini quicquid vult persuadet: namque homines animabus defunctorum, vel parentum, vel cognatorum, vel amicorum suorum quos diligunt, & à quibus se diligi non dubitant, libentius & promptius credunt, quàm Dæmoni quem naturaliter horrent. Deinde, ita persuadet hominibus, infernum non esse carcerem perpetuum, ex quo non liceat aliquando egredi: nec esse adeo graues & perpetuas inferni pœnas, sicut homines putant. Adhæc sic facit, vt homines putent, animas etiam post mortem habere corpora, vel posse quælibet se in corpora induere, vel in quælibet hominum aut bestiarum corpora migrare: qua re concipitur error Pythagoricus de transmigratione animarum, eoq; concepto labascit fides & spes christianæ resurrectionis. Præterea, hac ratione faciunt Dæmones, vt viui mortuos vel tanquam terrificos & noxios sibi metuant, & varijs superstitionibus placare sibiq; conciliare studeant; vel tanquam beneficos sibiq; vel amicitia vel necessitudine deuinctos, nimium superstitiosè diligant & colant; vel tanquam animas hominum quorundam apud mortales, aut sapientia, aut fortitudine, aut potentia clarissimorum, non humanis modo, sed diuinis etiam honoribus prosequantur atque venerentur.

animas de mortuorum.

HVGO sancti Victoris lib. 6. Eruditionis Didascalicæ, cap. 5. numerosius & enucleatius eam de qua disputauimus, Magiæ varietatem enarrans, ad hunc modum scribit: Magicæ repertor primus

Varia species Magiæ secundum Hugonem.

primus creditur Zoroastres. rex Bactrianorum; quem nonnulli asserunt ipsum esse Cham filium Noë, sed nomine mutato, hunc postea Ninus rex Assyriorum bello victum interfecit, eiusq; codices artibus maleficiorum plenos igne cremari fecit. Scribit autem Aristoteles de hoc ipso, quod vsque ad bis & vicies centum millia versuum eius de arte magica ab ipso dictata, libri eius vsque ad posteritatis memoriam traduxerunt. Hanc artem postea Democritus ampliauit tempore quo Hippocrates in arte Medicinæ insignis habebatur. Magia, in Philosophia non recipitur, sed est extrinsecus falsa, professione, omnis iniquitatis & malitiæ magistra, de vero mentiens: & veraciter lædens animos, seducit à religione diuina, culturam Dæmonum suadet, morum corruptionem ingerit, & ad omne scelus ac nefas mentes sequacium impellit. Hæc generaliter accepta, quinque complectitur genera maleficiorum: Manticem, quod sonat diuinationem, & Mathematicam vanam, Sortilegia, Maleficia, Præstigia. Mantice autem quinq; continet species sub se; Primam, Necromantiã, quod interp̃tatur Diuinatio in mortuis. νεκρὸς enim Græcè, id est, mortuus Latinè; & νεκρὸν cadauer dicitur; vnde est diuinatio quæ fit per sacrificium sanguinis humani quem Dæmones sitiunt, & in eo delectantur effuso. Secunda, est Geomantia, id est, Diuinatio in terra. Tertia, Hydromantia, id est, Diuinatio in aqua. Quarta, est Aërimantia, id est, Diuinatio in aëre. Quinta, est Diuinatio in igne, quæ dicitur Pyromantia. Varro enim quatuor dixit esse, in quibus diui-

natio

natio constaret, terram, aquam, aërem, ignem. Prima ergo, id est, Necromantia, ad infernum videtur pertinere; secunda ad terram; tertia ad aquam; quarta ad aërem; quinta ad ignem. Mathematica diuiditur in tres species, in Aruspicinam, in Augurium, in Horoscopicam. Haruspices sunt dicti quasi horuspices, id est, horarum inspectores, qui obseruant tempora in rebus agendis; vel haruspices quasi haras inspicientes; qui in extis & fibris sacrificiorum futura considerant. Augurium vel auspicium aliquando ad oculum pertinet: & dicitur auspicium, quasi auispicium, quia in motu & volatu auium attenditur: aliquando ad aures pertinet, & tunc dicitur auguriū, quasi garritus aurium, quia aure percipitur. Horoscopia, quæ etiam Constellatio dicitur, est, quando in stellis facta hominū quæruntur; sicut Genethliaci faciunt, qui natiuitates obseruant, qui olim specialiter Magi nuncupabantur; de quibus in Euangelio legimus. Sortilegi sunt, qui sortibus diuinationes quærunt. Malefici sunt, qui per incantationes dæmoniacas siue ligaturas, vel alia execrabilia remediorum genera, cooperatione Dæmonum atq; instructu nefanda perficiunt. Præstigia sunt, quādo per phantasticas illusiones circa rerum immutationem sensibus humanis arte dæmoniacæ illuditur, Sunt ergo omnes simul vndecim. Sub Mantice, quinque, id est, Necromantia, Geomātia, Hydromantia, Aërimantia, Pyromantia. Sub Mathematica, tres, Haruspicina, Auspicium, Horoscopia. Postea tres aliæ, id est, Sortilegium, Maleficium, Præstigium, Præstigia dicitur Mercurius

curius primus inueniſſe: Auguria Phryges inuenerunt: Haruſpicinam & Sortilegia Tages primus Etruſcus tradidit: Hydromantia primùm à Perſis venit. Hactenus Hugo.

CAPVT XII.

AN PER ARTEM MAGICAM VERUM AURUM FIERI POSSIT AB ALCHIMISTIS.

SI verum & perfectum aurum ab Alchimiſtis poteſt effici, haud dubie chymica facultas vna de præcipuis Magiæ partibus cenſenda eſt; nimirum tale opus Magiæ, tum propter vim & potentiam artis maximè admirandum eſſet: tum propter magnitudinem vtilitatis, optatiſsimum atque gratiſsimum mortalibus accideret. Audiat lector quid eruditus vir Iulius Scaliger ea de re ſcriptum reliquerit. Triplex eſt, inquit, Magia; vna hîc infima & noſtras, ſanè & fœda & ſordida cum cantiunculis, cadaueribus, & funibus ſuſpendioſorum: quæ ſi quis attrectare audeat, etiam mereatur. Altera ex aſtris deducit vires in ſpecula, ſigilla, annulos, tabellas: Tertia diuina eſt. Nomen apud vulgus odioſum fecit colluuies impoſtorum. At Magus apud Perſas, nihil aliud quàm ſapientem ſonat: ſed propter Smerdis proditionem & perfidiam, nomen Magorũ infenſum diu fuit. Hac Magia Dominum IESVM fuiſſe promiſſum regem, cognouerunt Magi, qui ad eum adorandum longinquis è regionibus profecti ſunt. E Syrorũ libris hæc deſcripſimus. Aiunt Magiæ & tranſmutatoriæ artis

Scaliger cõtra Cardanũ exercitat. 327.

Smerdes Magus inuaſit regnũ Perſarum. Herodotus lib. 3 & Iuſtinus lib. 1. Matth. 2.

tis vires, vias, & fines esse perquam similes. Opus & finem Chimistarum, esse corpus in corpus: Opus & finem Magiæ, esse spiritum in corpore. Magi suas affectiones, violentias appellant, propterea quod vires suas, supra eas quæ naturæ ordine fieri videntur, exercent. Chimistæ suum opus nominant Fortitudinem: hoc enim significat decantatum illud, Elixir, in cuius fide omnem oppignorant naturam. Sic eo loco Scaliger. Ergò digna cum primis inquisitione ac disputatione res est, vtrum nõ modo ex solis causis naturalibus, & in solis naturalibus locis, atque ordine tantùm modoq; naturali aurum generari queat, verum etiam per artificialem viam ac rationem, quam iactant Chimistæ, perfectum vsquequaque aurum, & tale omninò, quale est naturale, possit effici.

DVPLEX circa hanc quæstionem Philosophorum est sententia: multi negant, quidam verò aiunt. Nos primo loco aliorum sententias enarrabimus ac perpendemus: extremo autem loco etiam quid sentiamus ipsi, & similius vero iudicemus, breuissimè indicabimus.

EXPONITVR SENTENTIA EORVM qui negant verum aurum posse fieri ab Alchimistis.

AVICENNA in quibusdam suis commentarijs in libros Meteororum, vt refert Ægidius in 3. Quodlibeto, quæst. 8. de Alchimistico auro ita scripsit: sciant artifices Alchimiæ, species metallorum mutari non posse, quamuis *Auicenna.*

similia illis fieri possint; & quamuis Alchimistæ queant tingere ipsum æs colore quo volunt, donec sit multum simile auro, & abstergere immundicias plumbi, ita vt videatur argentum, semper tamen secundùm substantiam manebunt æs & plumbum.

Auerroës. AVERROES in Paraphrasi super primum librum de Generatione animalium, explanando primum caput, in eandem sententiam hæc scribit: Similiter etiam si datur aliquid artificiale valde simile naturali, tanta poterit esse similitudo, quod existimabitur esse idem specie, & si ars Alchimiæ habet esse, hoc est, quod potest fieri in ea. Et ibidem Auer. declarat sicut se habent mures ex putri materia, ad mures ex semine, inter eos enim est tanta similitudo, vt quamuis reuera inuicem differant specie, tamen vulgo putentur esse eiusdem speciei, ita etiam aurum alchimisticum se habere ad verum & naturale aurum. Idem sensit Auicenna, cuius verba paulò infrà memorabuntur initio capitis proximè sequentis.

B. Thomas. S. Thomas in secunda secundæ conditionaliter loquens de auro alchimico quæst. 77. art. 2. ad primum ait: Si aurum quod fit ab Alchimistis, non sit verum & tale, quale fit à natura, eius venditionem pro vero fraudulentam & iniustam esse; sin autem fiat verum aurum ab Alchimistis, id licite pro vero auro vendi posse, nihil enim prohibere, artem vtendo causis naturalibus naturales & veros effectus producere. Sed quid ipse simpliciter & absolutè sentiret de auro alchimico, satis perspicuè declarauit

tit in 2. sent. dist. 7. quæst. 3. art. 1. ad quintum, ita scribens: Potest quidem ars virtute naturalium agentium aliquas formas substantiales inducere in materiam; sunt tamen quædam formæ quas nullo modo ars potest efficere, quod propria actiua & passiua earum non potest inuenire atque adhibere, sed benè aliquid simile illis efficere, sicut Alchimistæ faciunt aliquid simile auro quantum ad accidentia exteriora, sed tamen non faciunt verum aurum, quod forma substantialis auri non est per calorem ignis quo vtuntur Alchimistæ, sed per calorem solis in loco determinato, vbi viget virtus mineralis; & ideo tale aurum non habet operationem consequentem speciem; & similiter in alijs, quæ eorum operatione fiunt.

ÆGIDIVS in tertio Quodlibeto qūæst. 8. affirmat Alchimistas posse quidem facere metallum aliquod quod tantum constet ex permixtione aliorum simplicium metallorum, cuiusmodi est electrum, quod dicitur constare ex tribus partibus auri & vna argenti; & quia sæpè in venis metallicis vnum metallum confunditur & permiscetur cum alio, Alchimista per actionem ignis segregando & separando aurum, quod erat permixtum cum alio metallo, videbitur de nouo facere aurum; tantum autem abest, vt possit verum aurum facere, vt ne simile quidem vero auro ita effici queat, vt non possit aliquo modo dignosci & discerni. Porrò existimat Ægidius aurum alchimisticum non posse sine peccato vendi pro auro naturali; non solum quia in certum pro certo & falsum pro ve- *Aegidius.*

ro venditur, sed etiam quia in medicinis adhibetur aurum ad confortandum cor, & morbos quosdam profligandos; maximum autem periculum esset, ne aurum alchimisticum propter diuersam rationem constitutionis, nimium læderet complexionem humani corporis, eiq; insigne aliquod detrimentum afferret. Quod autem verum aurum confici nequeat, Ægidius ita probat, vel potius declarat. Cernimus in vno quoque genere entium, quædam illius generis esse perfecta, alia verò imperfecta; perfectorum autem generationem esse determinatam tam secundum principium actiuum & secundum materiam, quàm secundum locum in quo fit: Imperfectorum autem minimè: Exempli causa, in genere animalium, quæ sunt perfectiora, ita se habent natura, vt equus non generetur nisi ab equo, & ex sanguine menstruo equæ, & intra matricem; at mures possunt generari ex semine & sine semine, intra matricem & extra. Idem perspicitur in plantis; idemq; similiter contingit in elementis, nam purus ignis elemẽtaris, nec generari, nec conseruari potest, nisi in suo locó naturali, id est, in concauo Lunæ; ergo similiter etiam eueniet in metallis; quare cum aurum sit perfectissimum omnium metallorũ, habebit determinatum agens & materiam, & locum naturalem, & propriam venam quæ latet intra sinum & ventrem terræ, extra quem locum, aurum nullo modo confici possit. Neq; valet illud, quod posset afferri contra hoc quod diximus: nimirum si mures qui sunt perfectiores auro, possunt generari extra matricẽ, multo magis

Ægidius negat aurum chimicum licite vendi posse pro vero.

magis aurum effici poterit extra ſuum locum naturalem;& , ſi ſerpentes fuerunt arte magica producti à Magis Pharaonis, vt legimus in Exodo, cur non etiam poterit effici verum aurum induſtria & beneficio artis?Hoc inquam nõ valet, nam eâdẽ ratione probari poſſet, cum mus ſit perfectior qualibet planta, & mus generari queat ſine ſemine, quamlibet etiam plantã poſſe abſque ſemine procreari; quod falſum eſt: nihil ergo prohibet, quod eſt imperfectiùs alio ſimpliciter, eſſe perfectiùs illo ſecundùm quid. Quamobrem quod aurum requirat determinatum locum ſuæ generationis,nõ arguit ipſum ſimpliciter eſſe perfectiùs aliquo animali, ſed tantùm ſecundum quid. Hæc ex Ægidio. *Exod. 7.*

CONCILIATOR in differentia 209.ſic ait: Metallũ non poteſt fieri per artem,& in aliud tranſmutari; cùm ars ſolum faciat permutationem in accidentibus, non autem in ſubſtantia; vel fortaſſe ſi poſsibile eſt, tamẽ id eſt homini ignotum,vnde Commentator tertio,De anima ait; Dicitur de multis artificijs, quod videntur eſſe poſsibilia,ſed ſunt cauſarum ignotarum. vt v. g. Alchimia, etſi talis ars conſtituatur,fortaſſe hoc erit per accidens, & inſpiratione diuina potius quàm artis humanæ ſapientia. Non enim (inquit Conciliator) ars eo peruenire poteſt, vt agentia & materiam,cum tempore,modo,& alijs circumſtantijs,ſciat ita proportionare, vt inde nouum conſtituatur metallum. Quod ſi apparenter videatur, id erit, quia ars fallaciam eius humano ingenio nequit detegere. Vnde aurum arte conſtructum, vim non puto habere con- *Conciliator.*

fortandi cor, ſicut habet aurum à natura productum. Fideles mihi tamen experti, dicunt argentum decoctione per artem fieri verum, non tamen videtur apparenter lucrari, probationibus omnibus quibus vtuntur, exploratum.

QVIDAM rerum metallicarum peritiſsimi, de quibus etiam ſubtiliter & accurate ſcripſerunt, dixerunt, primum atque ſummum fundamentum, quo nititur ac ſuſtentatur ars Alchimię, nullum eſſe: quo licet intelligere, ipſam artem (ſi tamen ars dicenda eſt quæ in ſe nihil veri & certi habet) inanem & fallacem eſſe. Etenim Alchimiſtæ putant materiam omniū metallorum eſſe ſulphur & argentū viuum, quamobrem profitentur ſe ex varia ſulphuris & argenti viui inuicem permixtorum temperatione, poſſe quodlibet metallum efficere: in quo ſanè vehementer falluntur. Nam ſi ſulphur & argentum viuum eſt materia auri & argenti, ergo in venis in quibus generatur aurū & argentum, apparerent aliqua veſtigia ſulphuris & argenti viui; ſimiliter etiam in venis ſulphuris & argenti viui, reperirentur aliqua indicia auri vel argenti; ſed ipſi qui totam pene vitam curioſiſsime luſtrandis, & conſiderandis venis, locisq; metallorum conſumpſerunt, nunquam tale aliquid reperire potuerunt. quare falſa eſt opinio Alchimiſtarum, & aurum quod ab ipſis fit ex ſulphure & argento viuo, nō eſt verum aurum: non enim, vt dictum fuit, talis eſt materia veri & naturalis auri. Aurum autem quod fit ab Alchimiſtis, licet ſimillimum videatur vero auro, falſum tamen eſſe multis modis cognoſci & iudicari

Non eſſe materiam omnium metallorū ſulphur & argentum viuum.

dicari poteſt, nempe vel ex pondere; vel ex eo, quia non ſuſtinet vim ignis; vel ex eo quia iniectum in vrinam, amittit colorem ſuum; vel quia non eſt ductile in tenuiſsimas laminas; vel denique quia non habet naturalis auri proprietates, quarum in primis illa commendatur, confortandi cor humanum. Hæc illi.

Cardanus.

CARDANVS lib. 17. de ſubtilitate hæc ſcribit: ſunt verò chimica inuenta, vitrum ducere in longiſsimas lineas, tenax aut prædurum efficere poſſe. Vidi ego dudum ſphæram exiguam ex vitro, quæ omni conatu illiſa ſolo lapideo, non comminuebatur, ſed reſiliebat ad trabes. Eiusdem facultatis chimicæ eſt, vitrum albis lineis interſtinguere, cęlare in eo imagines, falſas fabricare gemmas, purgare caphuram, metalla miſcere, immutare, aut nobiliora imitari. Exempla verò fallacis Alchimiæ vide apud eundem in 10. lib. De varietate rerum, cap. 51. Quo in loco etiam hæc ſubiungit: Aurum & argentum facere, ſeu ex alijs metallis ea conficere, aut gemmas factitare, aut viles in nobiliores tranſmutare, nemo non optare debet vt ſciat; at quid horum fieri poſsit, difficile ſcitu admodum eſt; & ſi hoc etiam ſciuerimus, longè difficilius eſt ſcire, quomodo fiat. Quæ autem ab Alchimiſtis fiunt, ea vel ad voluptatem pertinent, vel ad vſum; ad voluptatem ſunt gemmæ & metalla nobiliora; ad vſum tincturæ, colores, materiæ uaſorum & alia ſimilia. Circa quodlibet autem horum, tria excogitari poſſunt, vel vt fiant, quod maximum eſt; vel vt purgentur; vel vt perficiantur. Horum primum, de metallis, adhuc ſub

Inuenta & opera artis chimica.

iudice lis est an fieri possit; secundum & tertiũ, fermè inuentum est ad summam perfectionem. ac licet ars chimica non faciat verum aurum, quattuor tamen præstat magnas vtilitates. Prima est, quia potest vnum metallum facere simillimum alij, vt ferrum æri, & æs auro & argento, idq; clarius apparet in gemmis. Secunda, cum id quod in aliquo potentia continetur, per vim ignis excitat, extrahit, & ad perfectionem perducit. Tertia, cum ea quæ superflua sunt, vi sua absumendo detegit, vt cum ex calce alumen excipitur, quod non genitum est vi ignis, sed exceptum; ita fit id ♃ vocant multiplicationẽ, cum ex terra ipsa quę aliquid cõtinet quod cõtinetur, excipiunt. Quarta, Ars chimica vi ignis multas facere potest compositiones atque separationes, non minus vtiles & lucrosas ijs quæ ab Alchimistis tam anxiè quæruntur & ambitiosè promittuntur transmutationibus. Hæc Cardanus. Ex quibus verbis perspicitur eum arbitrari chimicam illam auri generationem, vel esse impossibilem, vel propemodum impossibilem.

Vtilitates artis chimicæ.

DECLARATVR OPINIO EORVM qui defendunt Alchimiam.

Opinio Auicennæ.

ALBERTVS in libro suo 3. de Mineralibus, cap. 9. hanc de facultate Alchimiæ quæstionem pertractans, primùm exponit sententiam Auicennæ quæ fuit hæc: sciant (inquit Auicenna) artifices alchimiæ species metallorum permutari non posse, quamuis aliquid illis simile fieri possit; quod enim differentia specifica aliquo

aliquo tollatur ingenio, non credo posſibile; ſed expoliatio accidentium non eſt impoſsibilis, vel ſaltem diminutio eorum : non enim permutatur ſpecies metallorum, niſi prius in primã materiam metallicam reducantur, & ſic iuuamine artis deducantur in ſpeciem metalli quod voluerit. Atque idem quoque ſenſiſſe ait Haſtem Philoſophum præcipuum in phyſicis & in mathematicis, deinde Albertus ſubiungit ea quæ ſequuntur: Oportet nos dicere, Alchimicos peritos, non aliter operari quàm peritos medicos, qui per medicinas purgatiuas purgant materias corruptas & nocentes ſanitati, & poſtea per remedia confortantia naturam, iuuant virtutem naturalem, vt digerendo, ſanitatem inducant: quæ ſanitas eſt effectus & naturæ & artis; ſed illius effectiuè & principaliter, huius autem organicè & inſtrumentaliter: ſic Alchimiſtæ primo benè purgantes materiam argenti viui & ſulphuris inſitam omnibus metallis, confortãt; deinde deducunt virtutes elementares & cœleſtes tali materiæ inhærentes ad proportionem mixtionis metalli quod intendunt inducere; & tunc ipſa natura operatur, & non ars niſi organicè iuuando & expoliendo vt diximus; & ſic verum aurum & argentum educere, & facere videntur: quod enim virtutes elementares & cœleſtes faciunt in vaſis naturalibus, hoc etiam faciunt in vaſis artificialibus, ſi artificialia formãtur ad modum vaſorum naturalium : & quod facit natura calore ſolis & ſtellarum, hoc faciet ars calore ignis; dummodo ſic contemperetur, vt non excedat virtutem ſe mouentem & infor-

Sententia Alberti Magni.

mantem qũæ eſt in metallis: huic enim cœleſtis ineſt virtus, quæ primo commiſcuit eam, & hęc inclinatur ad hoc vel ad illud per artis iuuamẽ. Alchimia igitur per hunc modum procedit, id eſt, corrumpens vnum, à ſua ſpecie remouẽdo, & cum iuuamine eorum, quę in materia inſunt, alterius ſpeciem inducendo. quare omnium operationum alchimicarum melior eſt illa quæ procedit ex eiſdem, ex quibus procedit natura; ſicut ex purgatione ſulphuris, per decoctionem & ſublimationem & expurgationem argenti viui, horumq; bona permixtione cum materia metalli, in his enim & ex virtutibus horum, omnis metalli ſpecies inducitur. Qui autem per alba albificant, & per citrina citrinant, manente ſpecie prioris metalli in materia, procul dubio deceptores ſunt, & verum aurum atque argentum non faciunt; & hoc modo ferè omnes vel in toto, vel in parte procedunt. propter quod ego experiri feci aurum alchimicũ quod ad me delatum eſt, & poſtquam ſex aut ſeptem ignes ſuſtinuit, tandem amplius ignitum conſumitur & perditur & quaſi ad fecem reuertitur. Hæc Albertus. Ecce ſupradictis verbis Albertus, non ſolum docet verum aurum poſſe fieri per Alchimiam, ſed etiam quis modus eius ſic efficiendi ſit poſsibilis, & quis impoſsibilis, manifeſtè declarat.

Quinque rationes pro Alchimiſtis.

QVIDAM Ianus Lacinius, qui de facultate chimica in tranſmutandis metallis multa diſputauit, eiuſq; diſputationis ſummam memorat Cardanus loco ſupradicto, probat arte chimica poſſe confici verum aurũ, his rationibus.

Primò,

Primò, metalla ſunt quædam pura & concocta, vt aurum & argentum: quædam cocta ſed impura, vt æs, ac ferrum: quædam cruda & impura, vt vtrumque plumbum; ſed impura repurgari, cruda concoqui poſſunt, igitur ex ære, ferro & plumbo, aurum & argentum fieri poteſt. Quod autem talia concoqui poſsint, demonſtrat ex ſententia Ariſtotelis 4. Meteororum vbi de concoctione agit. De purgatione dubium non eſt, quippe cum proprium ſit ignis ſeparãdo purgare. Deinde propinquitas, paruumqúe cauſarum diſcrimen, hoc idem ſuadet, cum ab ijſdem omnia fiant. Supponit autem omnia metalla conſtare ſulphure & argento viuo; quæcumque verò ſimilia ſunt, facilè inuicem tranſmutantur, eoq; magis, quod natura videtur ſemper perfectiſsimum intendere in omni genere, velut aurũ; quę igitur imperfecta ſunt, artis beneficio perfici poſſe videntur; tum vt ad finẽ, tum vt ad motus ipſius perfectionẽ perducãtur. Poſtea, ſi ars auctore Ariſt. in 2. Phyſ. & 4. Meteororũ eſt imitatrix naturæ, cum natura concoquendo purgandoq; ex ſulphure & argento viuo, aurum argentũmq; perficiat, cur non etiam idem ſimili ratione operans ars poſsit efficere? Adhæc, ea dici debent ſecundùm naturæ ordinem copulata & inuicem tranſmutabilia, quæ non habent omninò diuerſas operationes ſed eaſdem, in eo tantùm differentes, quod quædam habent eas imminutas & imperfectas, velut fœtus, infantis comparatione, ouum pulli, aurelia papilionis. At plumbum, æs, ferrum, argentum, nullas habent operationes ab auro diſtinctas,

ſtinctas, ſed quas illud habet, vtpote liqueſcere, duci, graue eſſe, nitere, ignibus reſiſtere; eaſdem habent hæc, ſed vitiatas & imminutas; non enim ita ſplendent, non ſunt adeo grauia, minus reſiſtunt ignibus, non tota liqueſcunt, non tàm tenuiter ducuntur; igitur hæc dici debent aurum imperfectum, & beneficio artis perduci queunt ad perfectionem auri. Atque hoc putat Cardanus eſſe maximum argumentum quod pro Alchimiſtis afferri poſsit. Poſtremò, idem aſtruit exemplo ranarum, quæ ſtatim, ob præparationem materiæ, ex puluere generantur. Sunt autem ranę perfectiores auro, & vt animalia perfecta, non ſolum partium ſimilariũm compoſitione, ſed etiam inſtrumentorum compoſitione indiguerunt. Auicennam quoque citat dicentem, vitulum in nubibus generatum ſemiuiuum excidiſſe inter imbres. Generantur etiam ex iuuenculo ſtrangulato apes, ex Baſilico ſcorpiones, ex elixatura Anatis ſub dio expoſitæ bufones, ex Aſinis veſpæ, ex equis Scarabęi, ex mulis locuſtę, aquę, quibuſdã in locis cõuertuntur in lapides: aër cõcuſſus inter duriora corpora, repentè tranſit in ignẽ, fumus metallorũ, præcipuè plumbi, cogit argentum viuũ, cortex mali punici ferrum mutat in chalybem. Si igitur hæc tàm admirãda & pene incredibilia fieri poſſunt, atq; adeò quotidie fieri videmus, cur incredibile videatur, poſſe ab Alchimiſtis verũ aurum cõfici? Hęc ille diſputat pro Alchimiſtis.

Antonius Mirandulanus.

ANTONIVS Mirandulanus, Philoſophus noſtræ memoriæ præſtans, & in Ariſtotelis doctrina excellenter verſatus, in illo ſuo opere quod

quod ſcripſit de Euerſione ſingularis certaminis libro 19. ſect. 7. hanc de Alchimiſtis ſententiam pronuntiat. Dicimus veram eſſe Alchimiſtarum opinionem quod aurum poſsit fieri, & ab arte & à natura, quia tranſmutare poſſunt argentum viuum, & alia quæ ad id requiruntur, ita vt fiat eadem materia: ſicut non ſolùm à natura ſed etiam ab arte animalia, vt ſcorpiones, generari poſſunt. Verùm quia illud aurum fit rariſsimè & cum maxima difficultate, multa enim quæ ad id concurrunt, facillimè impediri poſſunt, idcircò non videtur fieri poſſe; ſed rei difficultas non arguit impoſsibilitatem. Non eſt autem danda opera illi arti, non quia non ſit vera, ſed quia tantæ eſt difficultatis, vt ſit vtilius eam omittere quàm exercere: & multi quidem ditiſsimi ad magnam inopiam redacti ſunt, propterea quod maximis ſumptibus impenſis, vel nunquam aſſecuti ſunt quod hęc ars pollicetur, vel certe rarò & parum, ita vt ſumptus longè ſit maior lucro, quare ſatius eſt alijs artibus certioribus operam dare, quę maiori ex parte operam ſuam preſtant, quàm huic quę rariſsimè propter res naturæ abſconditas, finem ſuum aſſequitur. Hæc Mirandulanus.

EXPLICATVR BREVITER OPINIO auctoris.

NOBIS autem propoſitam quæſtionē philoſophicè conſiderantibus atque perpendentibus, tria videntur hac de re valde probabilia dici & firmari poſſe; vnum eſt, nullam eſſe ratio-

Sententia auctoris de auro alchimiſtico.

rationem philosophicã, vel necessariã, vel etiam admodum probabilem, qua demonstretur rationem chimicam efficiendi verum aurum, esse impossibilem. Cur enim putetur impossibilis? An quia nihil eorum quæ fiunt à natua potest fieri ab arte? at hoc in generatione multorum animalium, aliarumq; rerum quæ opera & ministerio artis non secus generantur quàm à sola natura, falsum esse cognoscitur. An quia (vt volebat Ægidius) nihil eorum quæ sunt in genere suo perfectissima, potest produci nisi vno modo, id est, solùm ab agente suo naturali? Verùm si Ægidius verisimili aliqua ratione hoc probaret, aliquantulum fortasse valeret ad persuadẽdum: cùm autem nullam huius rei probationem afferat, qua facilitate ab eo id dicitur, eâdem planè à nobis contemni ac reijci potest. An denique quia aurum naturale generatur virtute caloris cœlestis, aurum verò chimicum efficitur à calore igneo, qui duo calores cùm multùm inter se differant, non poterunt eundẽ effectum præstare? sed hæc ratio dupliciter peccat. Primùm enim falsum est calorem cœlestẽ & igneum specie inuicem distingui: cùm enim ab eodem contrario, hoc est, à frigore similiter corrumpantur, cùm ab eadem causa interdum producantur nimirùm à lumine, cùm se inuicem intendant atq; augeant, cùm ad productionem ignis & mixtorum simili ratione conducant, fieri nõ potest, vt ea ratione qua calores sunt, specie distinguantur inter se: differunt igitur ea re solum, quòd calor cœlestis propter ordinatum

Calor cœlestis & elementaris non differunt specie.

cœli

cœli motum, eſt valde temperatus & accõmodatus ad generationem & conſeruationem rerum ſublunarium, quam ob cauſam appellatur ſalutaris & viuificus: calor autem igneus ex ſe non eſt temperatus, ſed agit quantum poteſt agere, & res ſibi ſubiectas tandem deſtruit atque interimit, quocirca vocatur à Philoſophis deſtructiuus & corruptiuus rerum. Verùm ſi hic calor aliunde corrigatur atque temperetur, nimirùm vel à facultate animæ, vt in animalibus contingit, vel ab arte, vt fit in multis mixtis & medicamentis quæ à calore igneo, moderatione artis procreantur; efficietur profectò vt calor igneus talis propemodum euadat, qualis eſt cœleſtis. Deinde, experientia manifeſtè oſtendit quædam animalia ſimilter generari poſſe calore igneo atque calore cœleſti. Nam apud Ægyptios pulli calore igneo ex ouis excluduntur atque procreantur. Quam rem Iulius Scaliger, vir propter excellentem omnium diſciplinarum eruditionem admirandus, in ijs quæ ſcripſit contra Cardanum exercitatione 23. pulchrè deſcribit his verbis: In Ægypto ad Cayrum fumos conſtruunt alij alio multiplici fornice impoſito: in quorum tholi ſupremi medio, foramen eſt, per quod caloris vis, quæ immodica poſsit officere, ſubit atq; exhalat: in imo ignem accendunt temperatum: Quorum multas centurias in fornicum ſuperiore planitie diſponũt: ſtatis diebus erumpit pullorum turba, quos illi non numero ſed menſura venales habent: modiolum ſtatuunt ſine fundo: quem vt implerũt, tollunt, neque hæc fabula eſt, ſed fabulæ ipſi qui negant.

Animalia generari poſſe ſolo calore ignis, argumentum Iulij Scaligeri.

negãt. Hæc Scaliger. Cęterùm posse ex alijs metallis verè aurum effici, ꝓbari argumento & experimẽto posset auripigmẽti, ex quo perfectũ aurum posse fieri, testis est Plinius, qui rem nõ priscis temporibus sed sua ætate factam testatamq; cõmemorans, ita scribit lib. 33. cap. 4. Aurum faciendi est etiam vna ratio ex auripigmẽto quod in Syria foditur pictoribus, in summa tellure, auri colore, sed fragili lapidum speculariũ modo. Inuitaueratq; spes Caium principem auidissimum auri; quamobrem iussit excoqui magnũ pondus: & planè fecit aurum excellens, sed ita parui ponderis, vt detrimentum sentiret, illud propter auaritiam expertus, quanquam auripigmenti libræ 14. permutarẽtur: nec postea tentatum ab vllo est. Sic Plinius.

Ex auripigmento, teste Plinio, fieri verũ aurum.

ALTERVM verò, quod eadem de re probabilissimè potest asseri, illud est, chimicam rationem efficiendi verum aurum non quidem physicè, sed moraliter vt aiunt, loquendo vel impossibilem, vel propemodum impossibilem videri; non propter vllam rationem philosophicam quæ adhuc ab vllo sit allata, sicut ostensum est, sed propter ipsam experientiã quæ in rebus naturalibus, moralib⁹ atq; artificialibus, summi argumẽti firmissimæq; rationis vim debet obtinere. Etenim cùm plurimi in chimicæ facultatis tractatione & exercitatione diu multumqúe laborauerint, & in veri auri effectionem acerrimis studijs atque incredibili cupiditate incubuerint, nemo tamen adhuc fuit præter vnum aut alterum probatis proditum historijs, quem liquido constet verum aurum & omni ex parte proba-

Cur non videatur esse vera ars Alchimiæ.

probatum ac perfectum effeciſſe. Quod ſi effectio auri per artem chimicam eſt poſsibilis, cur ea cùm tamdiu & tam multum optata, quæſita, & procurata fuerit, nondum tamen reperta & vſitata fuit? nam quia poſsibilis eſt generatio animalium, medicamentorum, aliarumq; multarum rerum non ſolùm per naturam, ſed etiam per ſolertiam & induſtriam humanam, iampridem inuentæ ſunt artes, quæ huiuſmodi res & verè & facilè poſſunt perficere; cur igitur idem non contingit in auro chimico? niſi quia vel talis modus efficiendi tale aurum ſimpliciter eſt impoſsibilis, vel ſi eſt poſsibilis, nondum tamen is eſt humano ingenio, & fortaſſe non poteſt eſſe, exploratè perfectéq; cognitus. Atque hoc argumentum ab experientia ductum, non ſolùm apud Philoſophum naturalem, qui nunquam à rebus ſenſatis experientiaq; comprobatis, vel tranſuerſum (vt aiunt) digitum diſcedit, ſed etiam apud quemcumque hominem ſanæ mentis rectiq; iudicij plurimùm valere debet. Quod ſi habent iſti, vt iactant, veram certamq; artem faciendi aurum, cur ſibi primùm non faciũt tantum auri, vt nullius egeant, ſed bonis omnibus quæ parari auro poſſunt, abundent? At enim videre licet iſtos, ſemper egentes & mendicos, quique per vana promiſſa, alienis opibus exhauriendis, ſuam quoquomodo egeſtatem ſubleuare, ſuamq; famem explere cupiant.

AD extremum, illud non tantum probabiliter dici, ſed etiam pro vero certoq; confirmari poteſt, artem chimicam, licet ea fortaſsis ſit vtilis in diſtillationibus & alijs rebus quas ſuperius

ex ſententia Cardani memorauimus, tamen in eo quod ſpectat ad effectionem veri auri quam illa profitetur atque in primis pollicetur vanam eſſe, noxiam ac pernicioſam Reipublicæ, Primò, Quia aut nunquam, aut rariſsimè præſtat quod promittit, ex quo non ſemel factum eſt, vt multi ad extremam inopiam atque paupertatem redacti fuerint; vnde rectè quidã ait, Alchimiſtas non efficere aurum ſed abſumere; non implere crumenas, ſed magis deplere & exhaurire. Deinde, quia faciunt falſum aurũ falſamq; monetam, atque gemmas pro veris paſſim diſtrahunt, atque diuendunt, ex quo Reſpublica hominumq; ſocietas magnum caperet detrimentum. Poſtremò, quia verum aurum non rarò adhibetur in medicinis ad exhilarandum & roborandum cor: aurum autem chimicum cùm vel non ſit verum aurum, vel certè imperfectius ſit auro naturali, vel non vtiq; habebit eiuſmodi proprietates, aut certè non ita vitales & ſalutares humano corpori, quare non ſine diſcrimine ſalutis & periculo vitæ, in medicinis adhiberetur. Hæc igitur nobis viſa ſunt de chimica facultate efficiendi verum aurũ probabiliter poſſe diſputari.

Non eſſe permittendum in Republica ſum Alchimia.

CAPVT XIII.

DE ORIGINE MAGIAE ET IIS QVI in ea clari fuerunt.

ORIGINEM Magiæ, præſertim eius quam diximus non eſſe naturalem, variè tradunt ſcriptores. Philo libro De ſpecialibus legibus cenſet

censet ex vera & naturali Magia adulterata & corrupta natã esse fallacem & quę vulgo propriè dicitur Magia, ita scribens: Ex hac adulterata & deprauata, descendunt quas proprio maxime vocabulo malas artes dicimus circulatorum ariolorumq; studia, mulierum, mancipiorumq; nequissimorũ expiationes & lustrationes profitentium, mutationesq; amoris in odium, aut ex aduerso in amorem odij, per quasdam passiones amatorias & incantamenta idonea: atque his dolis circumueniunt homines & ingentium malorum atque ruinarum sunt causæ, non priuatis modò hominibus aut familijs, sed ciuitatibus, regnis & prouincijs. Quamobrem huiusmodi artes, meritò lege Mosaica, grauissimis propositis pœnis prohibentur. Hæc Philo. Vetus tamen opinio est plurimorum scriptorum probata consensu, principem huius Magiæ doctorem & quasi parentem fuisse Zoroastrem, vel Persem, vt Plinius & Diogenes Laërtius vocant; vel Bactrianum, vt Diodorus Siculus & alij nominant. Et Plinius lib. 30. cap. 1. ita de eo scribit: Sine dubio in Oriente orta est Magia, in Perside à Zoroastre, vt inter auctores conuenit. Eudoxus Zoroastrem hunc, sex millibus annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit; sic & Aristoteles; Hermippus, qui de tota ea arte diligentissimè scripsit, & vicies centum millia versuum à Zoroastre cõdita, indicibus quoque voluminum eius positis explanauit, præceptorem à quo institutus est Zoroaster, tradidit Azonacem quinque millibus annorum priorem bello Troiano. De quo Zoroastre mira alijs locis scri-

Philo de origine Magiæ.

Zoroastres Magiæ parens.

Plin. lib. 7. bit Plinius: Vnum enim eum (inquit) mortalium eodem quo natus est die risisse, cerebrumq; ita ei palpitasse, vt impositam repelleret manū, futuræ pręsagio scientiæ: viginti annis in deserto Magiæ vacantem, caseo vixisse ita temperato, vt vetustatem non sentiret. Iustinus quoque historicus libri primi initio, inuentorem artis Magicæ facit Zoroastrem: idemq; sentit B. Augustinus lib. 21. De ciuitate DEI, cap. 14. Solum, inquit, Zoroastrem quando natus est, ferunt, risisse, nec ei boni aliquid monstrosus ille risus portendit: nam magicarum artium fuisse perhibetur inuentor, quæ quidem illi nec ad præsentis vitæ vanam felicitatem contra suos inimicos prodesse potuerunt; à Nino quippe Assyriorum rege, cùm esset ipse rex Bactrianorum, bello superatus est. Suidas etiam ait, Magiam inuentum esse Persarum, apud quos Magi magnam fidem & auctoritatem habuerunt. Auctor Historiæ Scholasticæ enarrans historiam libri Geneseos, cap. 39. Ninus, (inquit) vicit Cham qui adhuc viuebat & regnabat in Bactria, seu in Thracia, vt alij volunt, & vocabatur Zoroaster inuentor artis Magicæ, qui & hanc, & septem liberales artes in quatuordecim columnis scripsit; septē æneis, & septem lateritijs, contra duplex orbis excidium quod timebatur, vnum per aquas, alterum per ignem. Ninus verò libros eius combusit. hinc etiam orta sunt idola. Hæc ille. Verùm de antiquitate Zoroastris non conuenit inter scriptores: nam Eudoxus & Aristoteles, vt ex Plinio retulimus, volunt eum antiquiorem fuisse Platone, sex millibus annorum:

Cham idē qui Zoroastres.

Hermip-

Hermippus autem vel (vt citat Laërtius) Hermodorus Platonicus in libro De disciplinis facit eum quinque millibus annorum bello Troiano vetustiorem; è contrario autem Xantus Lydius, vt refert Laërtius, multo recentiorem eum facit, hoc est, sexcentis duntaxat annis ante Xerxis transitum in Græciam. Sed illi nimium multos computant annos, hic nimium paucos. Constat enim Zoroastrem fuisse tempore Nini primi Assyriorum regis, quo regnante natus est Abraam: ab ortu autem Abraæ, vsque ad primam Olympiadem fluxerunt anni mille centum septingenti & paulò amplius sexaginta: nam qui plures quam cęteri annos monarchiæ Assyriorum & Medorum vsque ad Cyrum attribuerunt, illi mille trecentos sexaginta, huic trecentos quinquaginta assignarunt. Cœpit autem Cyrus regnare initio quinquagesimæ quintæ Olympiadis: Secundùm hanc igitur laxissimam computationem, à Nino & Zoroastre vsq; ad primã Olympiadem, numerantur anni mille quadringenti nonagintaquatuor. Bellũ porrò Troianum septem & quadringentis annis præcessit Olympiades: Xerxis transitus in Gręciam, in 75. excessus Platonis in 108. Olympiadem incurrit. Ex quo apparet multitudinẽ illam annorum, quam Eudoxus, Aristoteles & Hermippus tribuunt antiquitati Zoroastris, vel esse fabulosam, vel annos illos non quales nostri sunt, sed quales Ægyptij & Arcades habuerunt, hoc est, trimestres, esse censendos. Nec dissimile fuit eodẽ in loco Plinij, quippe qui ait Mosem multis annorum millibus posteriorem fuisse Zoro-

Laërtius initio Operis.

astre; cum subtilissima Chronologiæ ratione compertum sit, paulò amplius sexcentis annis Mosè priorem fuisse Zoroastrem.

Cassiani de origine Magiæ opinio. Gen. 6.

APVD Cassianum Serenus abbas collat. 8. cap. 21. originem Magiæ & omnium maleficarum artium altius repetit, nimirum etiam ante diluuium, ex eo tempore quo filij DEI, vt scriptura narrat, permisti sunt filiabus hominum. ait enim, scientiam omnium rerum cœlestium & sublunarium quam Adam à DEO acceperat, tradidisse ipsum filio suo Seth, cuius semen eam seruauit incontaminatam, & donec diuisum à sacrilega propagine Cayn perdurauit, eam doctrinam ad DEI cultum, & ad vtilitatem vitæ communis exercuit: cum verò fuisset impiæ generationi permixtum, ad res profanas atque noxias, quæ piè didicerat, instinctu Dæmonis deriuauit; curiosasq; ex ea maleficiorum artes atque præstigias ac magicas superstitiones audacter instituit. Sed quomodo hæc curiosa & malefica doctrina diluuio non perierit, in causa fuit Cham, vt antiquæ ferunt traditiones, qui superstitionibus & sacrilegis artibus fuit infectus, easq; artes, cùm in arcam in quam cum Noë patre suo iustissimo, & sanctis fratribus ingressurus erat, inferre non auderet; diuersorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum non corrumperentur iniuria, & durissimis lapidibus qui vim ignis non sentirent, insculpsit: quæ diluuio peracto, eâdem qua ille celauerat curiositate perquirens, sacrilegiorum ac perpetuæ nequitiæ seminarium transmisit in posteros. Hac itaque ratione illa opinio vulgi qua creditur Ange-

Angelos vel maleficia, vel diuersas artes hominibus tradidisse, in veritate completa est. Hactenus Abbas Serenus.

SED mihi verius sentire videntur, qui Diabolum primum Magicarum artium auctorem & parentem faciunt, à quo mortales earum cognitionem acceperint, & vsum didicerint. Et sanè primum Magię vsum & effectum memoria repetentibus, haud improbabiliter videri potest, Magiæ vsum vnà cum mundo cœpisse, & quidem in Paradiso, salua etiam tunc & integra illibataq; hominis innocentia. Ibi enim Diabolus formam sibi induens serpentis, vel occultè per verum & naturalem serpentem Euam alloquens, blandissimis deceptam promissis, ad vetitum pomum maximo sui suæq; totius humanæ sobolis exitio, edendum induxit. Nec mirum videri debet si Diabolum Magiæ auctorem faciamus; cùm ipse, vti apud Ioannem capite octauo Dominus noster dixit: *Homicida sit ab initio, & in veritate non steterit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est & pater mendacij.* Rectè igitur Lactantius libro secundo Diuinarum institutionum, omnium maleficarum artium inuẽtores & magistros fuisse Dæmones, confirmat his verbis: Eorum inuenta sunt Astrologia & Aruspicina & Auguratio, & quæ dicuntur Oracula, & Necromantia & ars Magica, & quicquid præterea malorum exercent homines vel palàm, vel occultè: quæ omnia per se falsa sunt, vt Sibylla Erythræa testatur. Hæc & alia multa in

Prima origo Magicarum artiũ à Dæmone.

Lactantius.

eandem ſententiam eo loco Lactantius commemorat. Sed nemo grauius & elegantius omnes Magiæ ſpecies omnesq; fallacias ex Dæmone profectas eſſe oſtendit quàm Cyprianus in libro de Idolorum vanitate: Nequiſsimi, inquit, ſpiritus, ſub ſtatuis ac imaginibus conſecratis deliteſcunt. hi afflatu ſuo vatum pectora inſpirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt, falſa veris ſemper inuoluunt: nam & falluntur & fallunt, vitam turbant, ſomnos inquietant, irrepunt in corpora, mentes terrent, membra diſtorquent, valetudinem frangunt, morbos laceſſunt, vt ad cultum ſui cogant, vt nidore altarium & rogis pecorum ſaginati, remiſsis quę conſtrinxerant, curâſſe videantur. Hæc eſt de illis medela, cum illorũ ceſſat iniuria; nec aliud illis ſtudium eſt à DEO homines auocare, & ad ſuperſtitionem ſui, ab intellectu veræ religionis auertere: cùm ſint ipſi pœnales, quærunt ſibi ad pœnam comites, quos ad crimen ſuum fecerint errore participes. Hi tamen adiurati per Deum vnum à nobis, ſtatim cedunt & fatentur, & de obſeſsis corporibus exire coguntur. Videas illos noſtra voce & operatione, quaſi flagris cædi, igne torreri, eiulare, gemere, deprecari, vnde veniant, aut quando diſcedant, ipſis etiam qui ſe colant audientibus confiteri, & vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curãtis adſpirat. Hinc vulgus in odium noſtri nominis cogunt, vt nos odiſſe incipiant homines antequam noſſe, ne cognitos aut imitari poſsint, aut damnare non poſsint. Hæc Cyprianus.

Præclara Cypriani ſententia.

SED

SED ne christianorum hominum duntaxat hæc videatur opinatio, excitabo etiã testes Philosophos Græcorum, & quidem nobilissimos. Aristoteles in primo de Philosophia libro, vt Laërtius initio sui Operis memorat, Magos Ægyptijs antiquiores esse, pdidit, duoq; iuxta illos esse principia, bonum Dæmonem, & malum: alterum ex his Iouem & Onomasdem, alterum Plutonem & Arimanium dici: quod Hermippus quoque in primo de Magis ait, atque Eudoxus & Theopompus, qui & reuicturos homines, iuxta Magorum sententias dicit, immortalesq; futuros: & vniuersa illorum mysteria & effectus precationibus quibusdam constare. Ista Eudemus quoque Rhodius tradit. Hæc Laërtius. Verùm nihil luculentius testimonio Porphyrij: quod libro 5. De præparatione Euangelica, cap. 7. his verbis refert Eusebius: Magicæ artis dij Gentilium & inuentores & doctores fuerunt. Vnde namque homines quibus rebus Dæmones colantur & cogantur, quàm ab ipsis Dæmonibus discere potuissent? Neque putes id à nobis tantùm dici: Porphyrius testis citetur, qui in libro De responsis sic ait; Non solùm felicem conuersationem suam, verùm etiam quibus rebus gaudeant & quibus alligentur, Dij hominibus significârunt. Adhæc quibus rebus cogantur, & quæ sibi afferenda sint, & quos dies vitare oporteat, figuras quoque ipsas simulachrorum quales esse debeant, & in quibus locis ipsi versentur, & omninò nihil est, quod ab ipsis dijs homines non didicerint. Atque hæc Porphyrius ex varijs Proserpinę responsis demon- *Porphyrius.*

ſtrat & confirmat. Quid ergo mirum, Magicæ artis & inuentionem & ſtudium & vſum fuiſſe antiquiſsimum? Certè nos ſupra à Mundi vſq; primordijs, Magiæ originem repetiuimus, & liber Exodi ſatis clare oſtendit, iam tempore Moſis, hoc eſt, pluſquam trecentis annis ante bellum Troianum, Magiam claram & celebrem fuiſſe, Magosq; magna apud eam gentem, & ſapientiæ & diuinæ cuiuſdam virtutis auctoritate & exiſtimatione floruiſſe, vtpote qui ſe Moſi opponere auſi fuerint, ſimiliter illi mira quædam operantes. Nec DEVS per Moſem tam graues pœnas aduerſus Magos conſtituiſſet, nec tam ſeuerè eorum conſuetudinem & congreſſum Iudæis interdixiſſet, niſi iam tunc eorum ars, ſicut hominibus exitioſa erat, ſic nota & celebris fuiſſet. Porrò circa belli Troiani tempora claram fuiſſe Magiæ famam, non obſcurè indicat Homerus, præſertim in Vlyſsis erroribus, adeò vt totum opus nō aliunde conſtet. Siquidem Protea & Syrenum cantus apud eum, non aliter intelligi volunt; Circe vtique & inferorum, euocatione hoc ſolùm agi. Deinde apud Theſſalas vrbes diu Magia, magna celebritate viguit. Orpheus quoque magnam ei fidem & auctoritatem addidit. Sed primus extat, vt inquit Plinius, de eo commentatus Oſthanes Xerxem regem Perſarum bello quod Græcis intulit, comitatus, qui velut ſemina artis portentoſæ ſparſit, obiter infecto quocunque commeauerat mundo; & hic maximè ad rabiem, non auiditatem modo ſcientiæ eius Græcorum populos egit. Sed ante hunc, clariſsimum in ea arte Pythagoræ nomen fuit.

Exod. 7.

fuit. Is autem quem dixi Pythagoras, & post eum Empedocles, Democritus & Plato ad hanc discendam nauigauere, exilijs verius, vt inquit Plinius, quàm peregrinationibus susceptis, hanc reuersi prædicauere, hanc in arcanis habuere. Sed maxime omnium Democritus, & aliorum suisq; editis de ea voluminibus, eodem tempore in Græcia, quo medicinam Hippocrates, hoc est, circa Peloponnesiacum Græciæ bellum, & annum Romæ conditæ trecentesimum, eam illustrauit. Multis post hos sæculis, Apostolorum temporibus apud Brachmanas Indorum Iarchas, & apud Gymnosophistas Æthiopum, Tespesion Magiæ existimatione illustres fuerunt: quo tempore Simonem cognomento Magum, propter hanc artem multum claruisse, omnis loquitur Ecclesiastica historia. Is Apostolorum æmulus, non apud Samaritas modò, sed apud Romanorum quoque principes, ad magicas eius præstigias attonitos, honores etiam diuinos obtinuit: ex quo velut parente, multiplex hæreticorum soboles prognata, & sub Christiano nomine magicas artes professa, religionem & disciplinam christianam apud ignaros, infamem & odiosam fecit. Verùm omnes ante se postq; eius artis famæ celebres, longè superauit Apollonius Tyaneus, eius perdiscendæ studio totum penè orbem peruagatus, & cum ijs congressus quicunque tunc in ea clari habebantur. Is Magiæ scientia tantam nominis claritatem gloriãq; sibi comparauit, tantaque sui admiratione hominum animos impleuit, vt à multis eius sapiẽtiam operaq; æstimantibus, & viuus & mortuus quasi

Simon Magus.

Actor. 8.

quasi DEVS haberetur. Taceo hîc Plotinum, Porphyrium, Iamblichum, Proclum, Apuleium aliosq; Pythagoricæ ac Platonicæ sectæ plurimos, qui Magiã & coluerũt studiosissimè, & pugnacissimè defenderunt, & tanquam inter omnes sapientiæ partes clarissimam, vtilissimamq́, summis laudibus prædicauerunt. Sed quęret aliquis, quomodo Magia artium omniũ vanissima & fraudulentissima, tantum in toto terrarum orbe totq; seculis valuit? Huic quæstioni respondens Plinius primo capite tricesimi libri. Auctoritatem, inquit, ei maximam fuisse nemo miretur: quandoquidem sola, artium, tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexa, in vnam se redegit. Natam primùm è Medicina, nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse, velut altiorem sanctioremq; quàm medicinam: ita blandissimis desideratissimisq; promissis, addidisse vires religionis, ad quas maximè etiam nunc caligat humanum genus. Atque vt hoc quoque suggesserit, miscuisse artes mathematicas, nullo non auido futura de sese sciendi, atque ea è cœlo verisimè peti credente. Ita possessis hominum sensibus triplici vinculo, in tantum fastigium adoleuit, vt hodieq; etiam in magna parte gentium præualeat, & in Oriente regum regibus imperet. Hæc Plinius.

Vnde tanta Magiæ auctoritas.

CETERVM illud hoc loco magno nostro gaudio ingentiq; gloria Christianæ religionis considerandum est, cùm primum Euangelicæ doctrinæ lux mundo affulsit, omnium magicarum fraudum caliginem fuisse discussam atque dissipatam. Simul enim fides CHRISTI prædicat & rece-

Religio & disciplina Christi tenebras Magiæ & veterum maleficarum

& recepta mundo fuit, omnis magicarum artium, oraculorum, vaticinationum cęterarũq; diabolicarum fraudum vis concidit, defecit, euanuit. Post Euangelium (inquit Tertullianus in libro de Idololatria) nusquam inuenies aut Sophistas, aut Chaldæos, aut Incantatores, aut Coniectores, aut Magos, nisi planè punitos. Vbi sapiens? vbi literator? vbi conquisitor huius æui? Nonné infatuauit DEVS sapientiam huius sæculi? Sic Tertullianus. Atque hæc ita fore, vti cernimus euenisse, multò antè CHRISTVS Dominus discipulos suos docuerat: nam apud Ioannem cap. 12. dixit: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras: & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum:* Et apud Lucam capite 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa eius arma aufert in quibus confidebat, & spolia distribuit.* Quantum (inquit Eusebius libri primi De præparatione Euangelica, cap. 2.) recepta CHRISTI fide mundus profecerit, ipsis oculis cernimus. Non enim Persæ qui eum secuti sunt, matres suas nefandis nuptijs cognoscunt: non humanis vescuntur carnibus Scythæ, nec carissimos, falsa religione impulsi liberos iugulant: non Massagetæ ac Derbices propinquos atque affines suos senectute confectos immolant, aut eorum carnes epulantur: non Tybareni senes suos præcipitare, Hyrcani rapaci auium generi, non Caspij canibus proijcere solent; quæ quidem antea religiosissimè faciebant: nunc verò euange-

artium è Mundo discussit.

Esa. 29.
1. Cor. 1.
Ibidem.

euangelica virtute vndique hæc tetra, fœda & immania flagitia exploſa ſunt. Quis iam doctrinam chriſtianam amplexus, Deos putat aut inania & ſurda ſimulachra, aut maleficos Dæmonas in eis habitantes, aut partes mundi quæ cõſpiciuntur, aut mortuorum vmbras, aut etiam animalium vel abiectiſsima & nocentiſsima? quibus tamen rebus vniuerſæ penè gentes ante prædicationem Euangelij diuinos honores cultusq; tribuebant. Non ſatis exiſtimari poteſt, inquit Plinius lib. 30. cap. 1. quantum Romanis debeatur, qui ſuſtulere monſtra, in quibus hominem occidere religioſiſsimum erat, mandi etiam ſaluberrimum. Quis ergo ſatis æſtimet, quantum debeant CHRISTO, cùm aliæ gentes, tùm in primis & gens & vrbs Romana, cuius fidei ac doctrinæ beneficio, maximis eſt malis liberata, ſummisq; beneficijs affecta? Roma enim (vt ait B. Leo ſermone primo De natiuitate Apoſtolorum Petri & Pauli) DEVM ſuum ignorans, cùm penè omnibus dominaretur gẽtibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem, in qua diligentiſsima ſuperſtitione habebatur collectum, quicquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum, vnde quantò eſt per Diabolum tenacius illigata, tantò fuit per CHRISTVM mirabilius abſoluta.

CAPVT

CAPVT XIV.

AN MAGIAE STVDIVM ET vsus sit licitus.

DVPLICEM supra Magiam fecimus; vnam naturalem, alteram non naturalem. Naturalis cùm sit doctrinæ Physicæ, Medicæ, ac Mathematicæ pars nobilissima, per se bona & honesta est, hominumq; studio & cognitione dignissima. Fortasse autem eius studium & tractatio publica meritò prohiberi posset in Republica, videlicet, si timeretur ne ea in vulgus prodita, multi (quę est humani ingenij ad mala procliuitas) ad perniciem exitiumq; aliorum abuterentur. Nam licet medicina quoq; abuti possint medici, & ob eandem causam etiam prohibenda videretur; attamẽ alia est ratio Medicinę, alia Magiæ: nam Medicina, & eius vsus est per se necessarius mortalibus, & abusus manifestior est, quàm vt omninò celari queat; ideoq; punitu ac emendatu facilior. Magiæ verò, nec vsus societati hominum est per se necessarius, & est abusus occultus: latet enim per quas res & qualiter Magia operetur. Quamobrem valde timeri potest, ne, quò est occultior in operando, eò magis fiducia impunitatis, lubrica sit ad nocendum.

De studio Magiæ.

MAGIA verò non naturalis, præsertim quæ commercio & fœdere inito cum Dæmone nititur, dupliciter addisci potest, vel speculatiuè tantum, vel etiam practicè, hoc est, vel noscendi tantùm causa, vel etiam vtendi & exercendi. Nuda cognitio Magiæ per se mala non est: omnis

nis enim cognitio veri bonum quoddã & perfectio est intellectus; si enim cognitio malorum bona non esset, DEVS eam non haberet; atqui DEVS omnium bonorum pariter atque malorum scientiam perfectissimam habet, si per se mala esset cognitio huius Magię, ergo nulli prorsus eam discere aut nosse liceret. Quomodo igitur Ecclesiæ Doctores & rectores, huius Magiæ vanitates, fallacias, maleficia, impiasq; superstitiones detegere & confutare possent? quomodo probare, mira illa quæ faciunt Magi, vel esse meras impostoras vel opera Dæmonum, vel occultarum virtutum naturalium effecta? quomodo demonstrare, nullum opus Magorum verè posse dici miraculum? quomodo docere, CHRISTI miracula multum differre ac prestare Magorum miraculis, & nec Magos virtute diuina operari, nec CHRISTVM eiusq; seruos miracula magicis artibus edidisse? Atq; hoc animo & consilio nõnullis Magiæ studere concessum est. Nos christiani (inquit Tertullianus libro De Anima) fallacem Magiam non socia conscientia, sed inimica scientia nouimus, nec inuitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus multiformem hanc lucem mentis humanæ, totius erroris artificem, salutis pariter, animæq; vastatricem. Itaq; mihi quidem videtur rectè dixisse Ioan. Picus Mirandulanus: Quò quis est Magiæ peritior, eò clarius eum cernere quantum inter Magorum & CHRISTI atque sanctorum miracula intersit. Sed studium eius potest tripliciter non esse bonum; vel si quis illud præferat studijs vtilioribus, & tantùm propter inanẽ quandam

dam curiositatem illud capessat; vel si ad malè agendum id referre velit; vel si propter imbecillitatem mentis periculum sit, ne huius Magiæ fraudibus & superstitionibus circumueniatur. Meritò igitur id studij publicè christianis vetitum est, nec vlli nisi permissu rectorum Ecclesię conceditur.

VSVS autem huius Magiæ in totum damnatus est & vetitus, nõ solùm lege diuina & Ecclesiastica, sed etiam ciuili, nec christianorum tantùm, sed etiam Gentilium. Non est autem vsus Magię licitus: aut enim ibi est peccatum infidelitatis, si quis Dæmoni credens, tribuat ei diuinum numen: aut est peccatum idololatriæ, si oblationibus & sacrificijs cultum Dæmonibus adhibeat: aut saltem est peccatum inobediẽtiæ, quia tam Magus quàm qui opera Magi vtitur, facit contra prohibitionem diuinam & ecclesiasticam. Causa autẽ huius prohibitionis triplex est; Primò, quia is peccat in se ipsum, committens se in magnum discrimen, scilicet deceptum magicis fraudibus in graues errores labendi. Deinde iniuriam facit Ecclesiæ, cum Dæmone habens commercium & familiaritatem, qui est omninò præcisus ab Ecclesia eiq; aduersarius. Postremò grauissimè DEVM offendit, dum cõfugit ad Diaboli opem & auxilium; quasi non sit omnipotens & homini abunde prouidens & consulens DEVS christianorum. Quàm grauibus autem, & minacibus verbis DEVS & vsum & studiũ huius Magiæ prohibeat, ex varijs scripturæ locis liquidò cernitur. In capite 19. Leuitici sic habes: *Non augurabimini, nec obseruabitis*

De vsu Magia.

Magia vetita diuinis legibus.

somnia. Non declinetis ad Magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos. Et capite sequenti 20. *Anima quæ declinauerit ad Magos & ariolos, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.* Et cap. 18. Deutero: *Non inueniatur in te qui sciscitetur ariolos, & obseruet somnia & auguria: nec sit maleficus, nec incantator, neque qui Pythones consulat, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus; & propter istiusmodi scelera delebit has gentes in introitu tuo.* Et 4. lib. Reg. cap. 1. Ochoziæ regi Israël qui miserat nuncium ad consulẽdum Beelzebub deum Accaron de ægritudine sua: Elias hæc renunciari iussit: *Nunquid non est* DEVS *in Israël, vt eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus; De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Et lib. 2. Paralipomenon, cap. 33. inter alia scelera regis Manasis, hæc connumerantur: *Obseruabat somnia, sciscitabatur auguria, maleficis artibus inseruiebat, habebat secum magos & incantatores; multaq; mala operatus est coram Domino, vt irritaret eum.* Cuius seueriſsimi præcepti hanc rationem reddit Philo in libro De specialibus legibus: Non finit noster legislator procrastinari veneficorum supplicia, sed absq; mora vult exigi: quod dilatio, noxijs opportunitatẽ peccandi præbeat, cęteris metum afferat, existimantibus, quicquid illorum vitæ accedit, suæ securitati decedere. Idcircò sicut viperas, scor-

Egregia Philonis sententia.

scorpios, aliasq; venenosas bestiolas, priusquam mordeant aut saucient, aut etiam se commoueant, sine mora ad primum aspectum occidimus, præcauendo naturalem eorum malitiam priusquam noceant: eodem modo eiusmodi homines plectendi sunt, qui magicis suis artificijs & maleficis artibus incautos homines nõ solùm errore implicant, sed in graues calamitates intrudunt. Sic Philo. Quàm essent autem hæ artes magicæ, & Apostolis & nascentis Ecclesiæ christianis abominabiles & exosæ, vel vnus locus qui est in 19. capite libri De Actis Apostolorum, apertissimè declarat, vbi sic legimus: *Multi ex his qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Vt autem & multitudinem & pretium librorum intelligeremus; subditur, eos quinquaginta denariorum millibus fuisse æstimatos. illos autem libros de rebus curiosis, Chrysostomus, Augustinus, Beda, Oecumenius alijq;, de rebus magicis scriptos fuisse interpretantur. Restat vt de Magis Pharaonis, qui se opposuerunt Mosi, nonnulla disputemus.

DE MAGIS PHARAONIS, *Exodi 7.*

SACRA Scriptura narrat Pharaonem aduersus Mosen iussisse accersiri sapientes & maleficos, qui per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam similia fecerunt, tribus prioribus prodigijs à Mose factis: sapiẽtes vocat, vel Astrologos, vel Philosophos, præsertim Magiæ natura- *Exodi 7.*

turalis peritos: Maleficos autem, qui Magiam illam quam supra nominauimus, non naturalem, tenebant & exercebant. Itaque horum nomine significantur præstigiatores, Necromantici, & qui magicis artificijs abutuntur ad patranda scelera, velut adulteria, furta, homicidia, atq; ob id dicuntur malefici: nam & faciunt mala, & malo modo, nimirùm Dæmonum auxilio cum multis item fraudibus, mendacijs & hominum deceptionibus. Dicuntur autem, vt refert Iosephus libro secundo Antiquitatum, illi Magi fuisse sacerdotes: apud Ægyptios enim tales erant existimatione omnis sapientiæ sacerdotes, quales apud Indos Brachmanes, apud Æthiopes Gymnosophistæ, apud Græcos Philosophi, & apud Iudæos Prophetæ. Dicit autem Scriptura, eos operari solitos per incantationes Ægyptiacas, & per quædam arcana: nam operabantur cantando quædam verba modo carminum: sed quia vel verba illa erant secreta, Onkelus vertit, susurrationes: vel modus quo operabantur, erat secretus & occultus, ideò vocantur arcana. Dicũtur autem Ægyptiaca, nõ quod primùm in Ægypto inuenta fuerint, sed quia verbis & ritibus Ægyptiacis constabant; vel quia non idem est genus & modus incantationum apud omnes gentes, sed alius alibi gẽtium. Septuaginta interpretes vocãt Sophistas & Pharmacos, id est veneficos & incantatores, Onkelus Magos, Aquila vertit κρυφιαστάς, id est, occultorum cognitores, & patratores.

CAPVT

CAPVT XV.

QVI FVERINT ILLI MAGI QVI reſtiterunt Moſi coram Pharaone.

SCRIPTVRA neminem eorum nominatim appellat: Sed B. Paulus poſterioris Epiſtolæ ad Timotheum cap. 3. ait Ianne & Mambre reſtitiſſe Moyſi. Chryſoſtomus illum locum exponens ait, Paulum illorum duorũ nomina comperta habuiſſe ex antiqua certaq; Hebræorum traditione, vel ex SPIRITVS ſancti reuelatione. Sic etiam Theodoretus & Theophylactus. Alij dicunt fuiſſe librum quendam apocryphum, qui inſcribebatur liber Iannis & Mambres, ex quo libro volũt Paulum transſcripſiſſe illorum Magorum nomina. Quod probare videtur Origenes Tractatu 35. in Matthæum, vbi exponẽs verba illa Pauli, ait nomina illa Magorum non inueniri in ſcripturis publicis, ſed in ſecreto quodam libro qui inſcribitur. Liber Iannis & Mambres. Quapropter nonnulli epiſtolam illam Pauli reijcere auſi ſunt, tanquam apocryphis vtentem teſtimonijs: cùm tamẽ, inquit Origenes, nemo adhuc auſus ſit reijcere priorem epiſtolam ad Corinthios, in cuius capite 15. citatur ſententia quædam ex Menandro Poëta. Hactenus ex Origene. à quo non diſcrepat vulgo putatus Ambroſius eundem illius epiſtolę locum explanans, exemplum, inquit, hoc de apocryphis eſt: Iannes enim & Mambres fratres erant magi vel venefici Ægyptiorũ, qui arte Magiæ ſuæ, virtuti DEI quæ per Moſen operabatur, æmulatiõe cõmentitia reſiſtere ſe poſſe putabãt.

Sed cum Moysi virtus in operibus crescceret, humiles facti, cum dolore vulnerum fateri coacti
Exod. 8. sunt DEVM in Mose operari. Gelasius Papa Distinct. 15. sancta Romana Ecclesia, hunc librum Iannes & Mambres inter apocryphos numerãs, reprobat. Horum etiam Magorum meminit Plinius lib. 30. cap. 1. & vocat Iamne & Iotape, falsò dicens eos fuisse Iudæos: sed in eo præterea fallitur, quòd istos multis annorum millibus fuisse dicit post Zoroastrem; cum ex Iustini libro primo constet Zoroastrem fuisse tempore Nini primi Assyriorum regis, quo regnante natus est Abraam, à cuius ortu vsque ad tempus istorum prodigiorum, non nisi quingentiquinque anni fluxerunt; quin ab ipso diluuio non amplius septingentis nonagintaseptem præterierunt. De his quoque Numenius Pythagoricus in 3. lib. De bono ita scribit: Iannes & Mambres, Ægyptij erant, magicis artibus adeò præpotentes, vt Musæo Iudæorum duci, viro DEO coniunctissimo, soli resistere posse à cunctis Ægyptijs iudicati sint; multas enim calamitates quas Musæus Ægypto intulit, soluere visi sunt. Hæc refert Eusebius libro 9. De præparatione Euangelica, cap. 3. Hos autẽ Magos fratres fuisse, & Ambrosius loco supradicto affirmat, & ex narratione B. Macharii Palladius commemorat. Sed quia in Macharij & Palladij mentionem incidimus; nõ alienum fuerit hoc loco quæ narrat Palladius vitam Macharij scribens de mirabili horum Magorum sepulchro ab ipso Macha-
Memorabilis historia. rio visa & comperta, & deinde narrata Palladio, hîc adscribere. Dicebat Macharius Iannem &

Mambrem fuiſſe fratres, propter magicæ artis excellentiam, maximam apud Pharaonem & Ægyptios tunc temporis habẽtes auctoritatem atque poteſtatẽ: qui dum viui eſſent, intra quãdam Ægypti ſolitudinem, in hortis quibuſdam ſepulchrum ſibi conſtruxerunt ex lapidibus quatuor pedum magnitudine, multumq; auri illic condiderunt, & omnis generis arbores plãtauerunt, & maximum aquæ puteum foderunt, ſperantes fore vt poſt ſuum obitum in illo paradiſo delicijs fruerentur. Hic autem locus, vt communi illius regionis fama ferebatur, à Dæmonibus tenebatur atque cuſtodiebatur. Inceſſit Machariũ cupido viſendi locum, profectusq; cùm iam propè acceſsiſſet, obuiã illi occurerunt ad ſeptuaginta Dæmones varijs formis, alij clamantes, alij exilientes, alij magno cum fremitu in eum ſtridentes dentibus, alij figura coruorũ in eum inuolantium, quibus euaneſcentibus, ingredienti iam in paradiſum, occurrit Diabolus cum diſtricta romphæa ei minitans: quem facto crucis ſigno repellens, ingreſſus eſt locum; omniaq; contemplatus, reperit cadum æneum, catena ferrea pendentem ex puteo, iam tempore conſumptum, & fructum malorum punicorum, quæ nihil intus habebant, fuerant enim arefacta ſole; & plurima aurea donaria. Hæc Palladius de ſepulchro horum Magorum ex Macharij relatione.

CAPVT XVI.

AN PRODIGIA QVAE MAGI ILLI fecerunt, fuerint vera, an tantùm simulata.

MAGNA quæstio est, varijs scriptorum sententijs in vtramque partem agitata, an serpentes illi seu dracones, in quos scriptura narrat virgas à Magis proiectas, fuisse Ægyptiacis incantationibus atque arcanis conuersas, fuerint veri & naturales serpentes, nõ minus quàm is in quem virga Aaron mutata fuit, an potius fuerint simulachra quædam tãtùm & imagines serpentum qui à Dæmonibus, serpentum modo mouebantur. Quod autem de serpentibns Magorum diximus; de aqua mutata in sanguinem, & ranis productis itidem intelligi volumus. *Exod. 7. & 8.*

MVLTI & graues scriptores existimarunt serpentes illos fuisse naturales: hoc enim docet Theodoretus in Quæstionibus suis in Exodum quæst. 18. idemq; apertius & copiosius B. Augustinus libro 3. de Trinitate, cap. 7. & 8. & in libro octogintatrium quæstionum quæst. 79. quem in hoc ferè secuti sunt Theologi Scholastici. S. Thomas affirmatissimè hoc tradit in Commentarijs super 24. caput Euangelij secundùm Matthæum, & prima parte quæst. 14. art. 4. in eandem inclinat sententiam B. Bonauentura 2. Sententiarum, Distinct. 7. quæst. 2. Caietanus adeò clarum id esse inquit in scriptura, vt in dubium minimè verti possit. hoc etiam sentiunt Lyranus, Tostatus & Paulus Burgensis. & confirmari *Prima opinio, fuisse veros serpentes.*

potest

poteſt argumentis B. Thomæ deſumptis ex prima parte, loco ſupra citato.

VERVM ex aduerſo multo plures & antiquiores, nec minus doctrina & antiquitate præſtantes, prodigia illa Magorum non fuiſſe veros & naturales effectus ſed tãtùm ſimulatos, & apparentes, & artificio quodam magico ac diabolico ſpectantium oculis imponẽtes, & ſenſerunt, & ſcriptis ſuis prodiderunt. Nam Ioſephus lib. 2. Antiquitatum ait illos ſerpentes Magorum, ſpecie verorum ſerpentum reptaſſe, ſed fuiſſe præſtigias, veritatis ſpecie hominibus non admodum cautis imponentes. Simile quippiam innuit Philo libro primo De vita Moſis hoc factum Magorum enarrans. Iuſtinus martyr in libro Reſponſionum ad quæſtiones Orthodoxorum, in reſponſione ad quæſtionem 26. Quæ, inquit, à Moſe facta ſunt miracula, quia diuina virtute ſunt edita, facta ſunt mutatione rei propoſiæ, in naturã eius quod efficiebatur: at, quæ à Magis, opera Dæmonis ſunt facta, ſpectantiũ oculis præſtigias offundebant, vt qui ſerpẽs non eſſet, eum viderent quaſi ſerpentem, & non ſanguinem quaſi ſanguinem, & non ranas quaſi ranas. Tertullianus in libro De anima: Poſſunt, inquit, & ſolent Dæmones phantaſmata præſtare, & corpora fingere, quibus exteriores oculos circumueniant. Corpora enim videbãtur Phãraoni & Ægyptijs magicarum virgarum dracones: ſed Moſis veritas, mendacium eorum deuorauit. Gregorius Niſſenus: Qui ex virga Moſis, inquit, factus eſt ſerpens, verè animatus, Magorũ virgas reuera ligna, viſus autẽ deceptione

Altera opinio non fuiſſe veros ſerpentes.

ſerpentes, facilè deuorauit. Græcus interpres, quem citat Catena in Exodum ait, illos ſerpentes Magorum fuiſſe meras præſtigias, nihil verorum ſerpentum præter ſpeciem & imaginem habentes. hoc etiam ſuper cap. 7. Exodi affirmant Rupertus, Rabanus & Hugo de S. Victore. Idem quoque ſatis indicat Ambroſius interpretans cap. 3. poſterioris epiſtolę ad Timotheum: Iannes, inquit, & Mambres virtuti DEI quæ per Moſem operabatur, commentitia æmulatione reſiſtere conati ſunt. Eundem Pauli locum explanans B. Hieronymus: Sicut, inquit, illi Magi artis magicæ præſtigijs Moſi, ſic nonnulli argumentorum fallacijs, chriſtianæ veritati ac ſimplicitati reſiſtere, ac illudere conantur.

Auctoris ſententia fuiſſe ſeros illos Magorum ſerpentes.

NEVTRA hæc opinio euidenter ex ſacris literis, aut humanis rationibus, vel probari vel reprobari poteſt: videtur tamen aliquanto probabilior B. Auguſtini ſententia. Scriptura enim Exodi 7. ijſdem verbis eodemq; modo narrat virgam Aaron verſam eſſe in ſerpentes & item virgas Magorum: ergo ſi ille Aaron fuit verus ſerpens, pariter etiam ſerpentes Magorum veri fuiſſe videntur. Ibidem quoque dicitur virgam Aaron deuoraſſe virgas Magorum, hoc eſt, ſerpentem ex virga Aaron factum, deuoraſſe ſerpentes ex Magorum virgis factos, non diceretur autem deuoraſſe illos, niſi fuiſſent veri ſerpentes. Deinde ſequenti capite octauo traditur Magos defeciſſe in tertio ſigno, nec potuiſſe producere ciniphes: ex quo ſatis intelligitur, verè & non in ſpeciem tantum eos duo priora ſigna feciſſe.

feciſſe. Moſes item detexiſſet fallaciam, ſi non fuiſſent veri ſerpentes. Quid quod ſcriptura vocat ſimpliciter ſerpentes, & ex nulla circumſtãtia narrationis colligi poteſt eos non fuiſſe veros ſerpentes: nec repugnat fuiſſe veros, ergo probabile valde eſt veros & naturales ſerpentes fuiſſe.

CAPVT XVII.

QVOMODO MAGI FECERINT ILLOS ſerpentes.

QVATVOR vel quinque modis cogitare poſſumus Magos feciſſe ſerpentes, ſanguinem, & ranas; duobus vel tribus in ſpeciem tãtùm & ſimulatè, duobus alijs, vere. Primò enim ſpecies & phantaſmata virgarum & ſerpentum, aquæ & ſanguinis & ranarum quę erant in phãtaſia & imaginatricè facultate, Dæmones commouendo & turbando ſpiritus in quibus erant illæ ſpecies, potuerunt facere vt illæ ſpecies refluerent ad ſenſum communem vel etiam ad ſenſum viſus; verbi gratia, primò ſpecies virgæ mox ea ſublata, ſpecies ſerpentis: ita vt videretur virga conuerſa in ſerpentem. Vide hæc tractata apud S. Thomam prima parte, quæſt. 114. & 111. artic. 3. & 4. idemq; in alijs fieri cernitur. Namq; in ſomno motu vaporum aſcendentium in cerebrum, atque deſcendentium, refluentibus ſpeciebus rerum ſenſibiliũ ad primum ſenſitiuum, dormientes videntur ſibi & videre & audire: & vi morbi idem contingit phreneticis. Deinde potuit fieri, vt Dæmon virtute aliqua naturali occulta, ſpectantium viſum ita inficeret

ret vel turbaret, vt viderentur esse quæ non erant, & non esse quæ aderant: quemadmodum ægrotus corrupto palato & gustatu, dulces cibos iudicat amaros. Tertio modo potuerunt Dæmones virgas illas Magorum subitò conuertere in serpentes, applicando illis inuisibiliter aliqua agentia naturalia nobis ignota, ad producendos serpentes potentissima & efficacissima. Quarto modo fieri potuit vt Dæmones non aduertẽtibus qui spectabant, virgas à Magis proiectas, subito è conspectu illorum clàm auferrent, & pro illis serpentes mole æquales ipsis, vel ante præparatos, vel aliunde tunc celerrimè asportatos, intuentium oculis subijcerent, ita vt virgæ in serpentes viderentur esse conuersæ. Potuit etiam quinto modo illud fieri, vt Dæmones virgas illas in modum & formam serpentum figurarent, vel figuram serpentum illis affingerent, & in illis motum qualis est verorum serpentum, ipsi efficerent.

QVI negant illos serpentes Magorum, fuisse veros & naturales, eos necesse est sequi vel duos priores modos, vel certè quintum modum. Sed contra priores duos modos illud pugnat, quod scriptura ait factos esse serpentes, non igitur solum erant in imaginatione vel aspectu intuẽtium, sed extra quoque erant serpentes: non enim dixisset scriptura, Magorum virgas versas esse in serpentes. Contra quintum modum facit quod scriptura dicit, serpentem factum ab Aaron, deuorasse serpentes Magorum: quomodo autẽ deuorasset illos, nisi fuissent veri serpentes. B. Augustinus, S. Thomas, Bonauentura,

Caieta-

Caietanus & Burgenſis ſequuntur tertium modum; qui tamen ſicut nec Lyrano, nec Toſtato, ita nec mihi ſit probabilis. Certum enim eſt, nec Dæmones potuiſſe immediatè producere ſerpentes, ſed tantùm adhibendo cauſas naturales eorum productrices. Certum etiam eſt, nullum agens naturale naturaliter operando poſſe ſubitò producere formam ex materia non ante diſpoſita & præparata. Certum etiam eſt, diuerſas formas exigere diuerſas materię prępara-tiones, & quò formæ ſunt nobiliores, eò plures & operoſiores præparationes depoſcunt: maior enim præparatio ſit materiæ ad formã mixti quàm ad formam elementi, & maior ad formam animalis perfecti, quàm vel mixti inanimati vel plantæ. His poſitis, quæ ſecundùm veram Philoſophiam negari non poſſunt, quæramus an Dæmones produxerint illos ſerpentes immediatè ex virgis: at materia virgę eſt admodum remota & aliena recipiendæ formæ ſerpentis. Si dicant non immediatè ex virga productos eſſe ſerpentes, ſed varijs tranſmutationibus præmiſsis: at tot & tam variæ tranſmutationes ſubitò fieri non potuerunt, ſtatim enim atque Magi proiecerunt virgas, apparuerunt ſerpentes. Quid quod, cum naturaliter producitur ſerpens, non ſtatim producitur magnus, ſed primo paruus, deinde paulatim acquirit iuſtam magnitudinem: at illi ſerpentes ſtatim producti ſunt magni, nimirum æquales virgis Magorum, non enim viſum fuiſſet virgas mutatas eſſe in ſerpentes, niſi ſerpentes fuiſſent æquales virgis.

CAIETANVS vt vim harum rationum ab ipſo

Caietanus refellitur.

ipso, vt arbitror, præuisam effugeret, duo reperit effugia; alterum est, eo tempore quod effluxit, dum Pharao vocauit Magos, & ipsi ad eum adierunt, Dæmones vltimam disposition em pro forma serpentis induxisse in illas virgas, atque ita cum proiectæ fuerunt, statim potuisse produci serpentes: alterum est, licet agens naturale per se non possit ex virga & subitò producere serpentem, tamen vt est instrumentum Dæmonis, illud posse; sicut motus & lumen cœli multa producũt quę sunt ipso nobiliora, quatenus sunt instrumenta intelligentiæ mouentis. Sed contra primum effugium facit illud, quod sic non fuissent illæ virgæ, non enim potest manere forma virgę cum vltima & proxima dispositione materiæ & formæ serpentis, præterea dubium est an illi serpentes seu vt alij vertunt, dracones potuerint aliter generari quàm ex semine. Secũdum effugium nihil valet: nam licet agens naturale vt est instrumentum vel hominis vel Angeli, possit vel citius vel melius aliquid facere, tamen non ob id potest ex qualibet & in qualibet materia effectum suum producere, nec potest posteriorem formam inducere non inductis prioribus. Posterior enim & nobilior forma, præsupponit necessariò priores; & sicut inter formas, ita inter earum dispositiones, est ordo naturaliter immutabilis, vt non possit esse posterior in materia nisi antea fuerit prior. Præterea verus sanguis naturaliter non potest produci nisi in animali, & per calorem animalis, & per certa instrumenta quæ in solo sunt animali.

RE-

RESTAT igitur quartus modus ſupra expoſitus, qui & Lyrano & Toſtato mihiq; fit veriſimilor: nam ſecundum eum modum defendimus fuiſſe veros ſerpentes, atque ita euadimus difficultates obiectas contra primum, ſecundum & quintum modum: nec tamen dicimus eos productos fuiſſe ex virgis, ne vrgeamur illis rationibus quibus tertius modus premitur. Vnus tantum ſcrupulus hæret, quomodo ſi non fuerunt ſerpentes producti ex virgis, dicantur virgæ conuerſæ in ſerpentes? ſed reſpondẽdum eſt, ſcripturam id dixiſſe non quod ita fuerit ſecundùm veritatẽ, ſed quia ita videbatur & æſtimabatur ſpectantium iudicio. Nam & hoc quoq; dicere oportet eos qui negant illos fuiſſe veros ſerpentes; & Caietanũ qui vult illas virgas habuiſſe vltimã diſpoſitionẽ pro forma ſerpentis: ſic enim non poterãt eſſe veræ virgæ, vt oſtendimus, ſed ſecundũ ſpeciem tãtùm; quare ſecundum eum, nec Magi proiecerunt veras virgas, nec verę virgę ſunt cõuerſæ in ſerpentes.

Auctoris ſententia, quomodo facta ſit à Magis illa virgarum in ſerpentes mutatio.

SED dicet aliquis, cur pmiſit Deus vt Magi qui cõtradicebant Moſi, prodigia facerẽt, cum ea res & diuinam virtutẽ quę p Moſen operabatur, obſcurare videretur, & Pharaonis animũ magis in perfidia & inobedientia obfirmatũ & obſtinatũ redderet? Ad hoc Chryſoſt. homil. 46. in Acta Apoſtolorũ, ita reſpondet: Permiſit DEVS Magis aliqd aduerſus Moſem, ne Magus putaretur eſſe Moſes: Permiſit illos docere omnes quantũ Magia imponat ſenſibus: vltra aũt non deceperunt, ſed ipſi ſe victos confeſsi ſunt: & non poteſt, inquit, ſine certamine clara eſſe victoria, & quò po-

Cur Deus ſit paſſus illa prodigia fieri à Magis.

ten-

tentior est hostis, eò illustriorem reddit eius gloriam à quo se victũ esse ipse confitetur: sicut Magi victos se à Mose cõfessi clariorẽ eius gloriam effecerunt. Theod. in Quæst. suis in Exod. quęst. 18. Ne quis, inquit, suspicaretur Mosem arte magica mira illa feciſſe; pmisit DEVS Magos similia aliqua facere, vt quantũ inter diuinam virtutẽ & magicas operationes interesset, tum euidẽtia rerũ, tum etiam Magorũ confessione, clarissimè innotesceret. Mutat Aaron virgam in serpentẽ, mutant etiam Magi virgas suas in serpentes: sed serpens Aaron prævalens, Magorũ serpentes deuorauit. *Exodi 7.* Mutant Magi aquam in sanguinem: sed nõ rursus possunt sanguinẽ mutare in aquam, sicut fecit Moses: pducunt ranas, sed eas auferre sicut Moses non possunt: & qui maiora animalia fecerunt, minora, id est, ciniphes, facere nõ potuerũt. Denicq; nec vlcera ipsi cauere, nec vlcerũ dolorẽ quo vehemẽter afflictabantur mitigare, nedum auferre potuerunt. Quamobrẽ Mosem longè superiorẽ quàm ipsi essent, & diuinã virtutem quæ operabatur, artibus suis magicis prę- *Exodi 8.* stantiorem confessi, dixerũt: *Digitus* DEI *est hic.*

Verùm nos quia hunc de Magia librum, vt perspicuitate orationis, & varietate atque ordine disputationum, delectuq; probabiliorũ sententiarum, firmiorumq; rationum; sic breuitate (quæ magna est legendi discendiq; illecebra) commendatum lectori & probatum esse cupimus, expositis iam quæ ad propositi à nobis argumenti tractationem & explicationem pertinebant, hîc ei finem imponamus.

BENE-

BENEDICTI PERERII, LIBER SECVNDVS,

qui est

DE OBSERVATIONE SOMNIORVM.

NON vnum est genus nec vna somniorum ratio; quocirca nec par est omnium causa, vt æque omnia vel approbari vel improbari debeant. Multa quidem somnia derident sacræ literæ: alia, etiam damnant: quædam verò cõmendant ac venerantur. Sunt enim pleraque inania: nec pauca sunt naturalia, ex certis naturæ causis profecta. Sunt idem alia Dæmonis calliditate ac malitia mortalibus iniecta: denique nonnulla diuinitus hominibus data sunt. Diligens porrò somniorũ tractatio, pulcherrimam per se ac iucundissimam parit cognitionem, & ad obscuros diuinæ scripturæ complures locos illustrandos valet plurimum: regendæ verò ac moderandæ hominum vitæ vtilissima esse potest. Sed in primis ad redarguendam quorundam hominum insciti am (sed verius dixerim, stoliditatem & vecordiam) qui nimis curiosè &

anxiè ac ſuperſtitiosè obſeruãt ſomnia, per magno eſt adiumento. His ego rebus adductus, de ſomniorum natura, varietate ac veritate nõnullas quæſtiones ſcitu maximè dignas atque vtiles hoc libro explicandas ſuſcepi.

INDEX QVAESTIONVM LIBRI SECVNDI QVI EST de Somnijs

PRIMA

QVæſtio: An ſomnijs habenda ſit fides.

II. *De cauſis verorum ſomniorum.*

III. *Quibus ſignis dignoſci queant ſomnia diuina à non diuinis.*

IIII. *Cur* DEVS *in ſomno arcana homines doceat.*

V. *Cur à* DEO *ſomnia dentur indoctis hominibus ſæpius quàm ſapientibus.*

VI. *Cur diuina ſomnia nonnunquam ſint obſcura & perplexa.*

VII. *An licitum ſit homini chriſtiano obſeruare ſomnia.*

VIII. *Cuius hominis ſit ritè interpretari ſomnia.*

IX. *An in ſomno vſus rationis & voluntatis liber eſſe queat.*

X. *De ſomnio Salomonis, in quo donum ſapientiæ à* DEO *promiſſum ei & tributum eſt.*

QVÆ.

QVÆSTIO PRIMA,

An vlla somniis habenda sit fides.

IN diuersa, vulgi ac sapientum super hac re distrahuntur sententiæ: quamquam vno verbo ea quæstio posset expediri facta somniorum distinctione: nonnullis enim somnijs sine dubitatione fides habenda est: plerisque tamen penitus derogãda. Nimirum, aut omnibus, aut nullis credere somnijs, par est vecordia, & videtur extremæ vtrumque vel stoliditatis, vel contumaciæ. Sed profectò, & scitum, & verum est illud Ciceronis dictum: nihil tam absurdè dici posse, vt non ab aliquo Philosophorum dicatur. Quid enim esse potest magis ἄλογον & ἀδύνατον, quàm omnia somnia vera & credenda esse arbitrari? Ecce tibi Prothagoras, vnus sanè ex illo priscorũ philosophorum senatu, omnibus somnijs fidem arrogat, magna auctoritate decernens, veritatem & falsitatem non ipsa natura rerum, sed sola existimatione hominum constare: hominem esse mensuram omnium & tale vnumquodque esse, quale videtur homini, siue sobrio, siue vinolento, siue sano, siue insano, siue vigilanti, siue dormienti. Affines huic errori fuêre quidam Stoici, nimio plus superstitiosi, ac penè fanatici philosophi: qui nulla reijciunt somnia, in omnibus esse rati vim significandi, ac denotandi aliquid. Existimari tamen aiunt, quædam somnia inania & falsa, quòd sint admodum tenuiter expressa,

Cic. in 2. de Diuinatione.

Omnia somnia esse vera, Prothagoræ & Stoicorum opinio.

ob idq; obſcura, & ad intelligendum difficilia: & quia propter ambiguitatem, varias ad res videntur poſſe applicari, propterea nihil certum ex eorum obſeruatione nobis conſtare: preſertim verò quòd ad eorum ſomniorum vim diſpiciendam, par hominum ſolertia & ſagacitas non facilè inueniatur. Ex aduerſo, his contraria ſentientes Xenophanes Colophonius, vel ipſa vetuſtate memorabilis philoſophus (naſcentis enim in Græcia philoſophiæ propemodum equalis fuit) mollis item ac delicatæ Epicureæ diſciplinæ ſectatores, omnium ſomniorum fidem & auctoritatem ſuſtulerunt. Non eſſe autem vllis credendum ſomnijs, ſic illi argumentabantur. Vna vis eſt, eademq; natura omnium ſomniorum: par igitur credendi aut omnibus, aut nullis ratio eſſe debet. Sed pleriſq; ſomnijs non eſſe credendum, confeſsio eſt omnium: nihil ergo cauſę eſt, cur pleriſq; reiectis, aliquib⁹ præcipuè credere debeamus. Adijce, quòd ſi quædam ſomnia vera & certa ſunt, aliquas eſſe certas ipſorũ effectrices cauſas neceſſe eſt. At quas? naturam, inquiunt, & Deum. Sed natura quidé amica eſt ordinis & conſtantiæ; in ſomnijs nullus ordo ineſt, ſed plena temeritatis inconſtantia. Dei autem maieſtate alienum & indignum videtur, obire Deum lectos dormientium, concurſare grabatos, & ſtertentibus inijcere ſomnia, quæ illi expergiſcentes, vel non recordentur, vel non intelligant, vel etiam contemnant, vel ſi curanda ſibi putent, ſtulta impleti ſuperſtitione, dies noctesq; animi pendeant, aut inani impendentium malorum metu perterriti, aut fallaci

Xenophanis & Epicureorum opinio omnia ſomnia eſſe vana.

fallaci futurorum expectatione bonorum elati. At, quantò & rationi conuenientiùs, & Dei præstantia dignius, atque vtilitati hominum consultiùs fuisset, visa dare non sordidis & indoctis hominibus, sed optimis & sapientibus viris, non dormientibus, sed vigilantibus, nempe magis ad intelligẽdum idoneis: nec per circuitionem, & anfractus, atque ænigmata, sed propriè, apertè, & explicatè significare Deum, quod ab homine vellet intelligi.

Vera sententia de somnijs.

HAEC isti de somnijs balbutiũt, in totum ea vel approbantes, vel damnantes; videlicet per extrema, veritati deuia, inerrãtes. Sed vera sententia, quasi media insistens via varia facit somniorum genera: quorum plurima tanquam inania, & ab omni ratione vacua, nec vlla fide digna, planè abiudicat & reijcit. Hoc, cum luce Solis clarius sit, superuacaneum est argumentari. Id enim quotidiana docet experientia, totas quotidie noctes somniamus, quotum igitur quodq; de tot somnijs, verum euadit? Euadit quidem aliquod nonnunquam verum, sed quia id rarissimè, ac sine ratione vlla contingit, nihil afferri potest, cur non casu & temerè accidisse credatur. Idem quoqũe ratio ipsa fateri cogit. Nam quæ alia est istiusmodi somniorum causa nisi quia spiritus, sentienti animæ, præsertim autem phantasiæ, cuius est fingere somnia, deseruientes, in quibus insident atq; inhærent, rerum in vigilia perceptarum reliquiæ, ac vestigia, quas in scholis appellamus species, eiusmodi inquam spiritus, in somno vaporibus cibi potusq; caput subeuntibus agitati, & huc illuc iactati, varia

Pleraque somnia esse vana.

Causa somniorum.

reddũt visa & somnia, sed propter inordinatam eorum spirituum iactationem, valdè incomposita, sæpè etiam turbulenta & distorta, denique talia, vt nullam vim significandi aliquid habere queant. Sic profectò sunt somnia, vt quæ in nubibus variè figurantur, vel animantium, vel aliarum rerum similitudines & imagines, quas cernimus breuissimo tempore in alias, atque alias commutari, & mox dissolui omnes, ac penitus euanescere. Has imagines, qui certam vllius rei significationẽ facere putaret, obtusus & excors haberetur, at non minoris videtur insciticæ, certas significandarum rerum notas, & signa eiusmodi somnijs attribuere. Si ebriorum, phreneticorum, & insanorum visa negligimus, & pro nihilo ducimus, æquè profectò ridenda, & contemnenda sunt somnia, quin eò magis, quod plerunque magis ipsa sunt inordinata, cõfusa, & monstrosa. Facetè quidam, sed verè tamen, dixit, si natura sic esset comparatum, vt ea dormientes agerent, quæ somniant, fore omnino necessarium, vt alligarentur, omnes, qui cubitum irent, quippe magis ridicula & absurda, magisq; incredibilia, quàm vlli faciant insani, facturos esse somniantes. Hanc quoque sententiam confirmat diuina scriptura, deridens leuitatem & vanitatem eorum, qui somnijs, hoc est, rebus futilissimis ac mendacissimis credendo, dignos se prębent, qui omnium irrisione ludantur. Itaque in libro Ecclesiastæ capite quinto sic est: *Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & innumeri sermones.* In libro item Ecclesiastici

Testimonia diuinæ scriptura de vanitate somniorũ.

capite

capite 34. ita legimus: *Somnia extollunt imprudentes, quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad insomnia, multos errare fecerunt somnia, & exciderũt sperantes in illis.* Denique, cùm scriptura vult significare aliquid vanum, instabile, fugax, & fallax, somniorum comparatione, ac similitudine persæpè declarat.

CAETERVM, vt plurimis somnijs abesse veritatem, fidemq́, non est negandum, ita quædam esse vera, & certa somnia, fatendũ est. Nam si nullis insomnijs, quidquam veri & certi esset, inscienter profectò, ac superstitiosè clarissimi medicorum, somnia, quæ frequenter ægris cõtingunt, ad eorum morbos diiudicãdos curandosq́ tam subtiliter & curiosè obseruarẽt. Stulto item labore physiologi se fatigarent, somniorum causas, vires, ac significationes tãto studio, & diligentia venando ac speculando. Mendaces præterea essent tot superiorum temporum historiæ, clarissimis testatæ consignatæq́ monumentis, refertæq́ exemplis verorum somniorum, quæ ad verbum cum rerum euentis mirificè conuenerunt. Quid in sacris literis quot memorantur somnia, non vera & certa modò, sed etiam diuinorum mysteriorum pleniſsima, Repetat memoria lector somnia Abraę, Abimelech, Iacob, Laban, Ioseph, Pharaonis, Salomonis, regis Nabuchodonosor, Danielis, Mardochæi, Iudæ Machabęi: in nouo autem Testamẽto, somnia beati Ioseph, Magorum, vxoris Pilati, denique somnium D. Pauli, quod à Luca in

Multa somnia esse vera.

Matth. 1. & 27.

Act. 16. lib. de Actis Apostolorum narratur. Hanc somniorum distinctionem, etiam Homerus poëtico more, fabularum integumentis velatam, significauit, cum duas finxit portas, vnam corneam per quam emitterentur ad homines vera somnia: alteram eburneam, per quam ederentur falsa. Homerum imitatus, vt ferè solet, Virgilius lib. 6. Æneidos, eandem sententiam expressit his versibus:

Homeri cõmentum ad significandam verorum atque falsorum somniorum distinctionem.

Odyss. τ.

Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris,
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.

Mac. lib. 1. cap. 3 Cur autem poëta, veris somnijs corneã portam, falsis eburneam assignauerit, causam exponit Macrobius in eo commentario, quo somnium Scipionis explanauit.

QVÆSTIO II.

DE CAVSIS VERORVM SOMniorum.

DICTVM est, alia esse somnia falsa, & alia vera: reiectis igitur falsis, vera contemplemur. Verùm, quia quæ sint vera somnia, & quo insigni atque nota internoscantur à falsis, planè intelligi non potest, nisi verorum somniorum causas omnes rimemur, & aperiamus, propterea quid ab alijs de huiusmodi causis creditum & proditum sit, hoc loco docere conuenit. Hippocrates in libro de Insomnijs, duo statuit somniorum verorum genera; alterum nominat diuinum,

Varia de somniorum causis, au-

quinum, alterum naturale. Diuina somnia, inquit à Deo mitti, & semper memorabiles aliquos casus, insignesq; vel ad lætitiam & tristitiam, vel ad fœlicitatem & miseriam, siue priuatam, siue publicam, euentus portẽdere, horum autem somniorum interpretationem, ex vatibus, rerumq; diuinarum interpretibus petendam esse. Tale fuisse dicitur somnium Cyri maioris, qui monarchiam Persarũ condidit, ad cuius pedes dormientis, sol visus est, terq; ab illo appetitus manibus, ter se conuoluens, elapsus est. Quo somnio magi Persarum sapientes, significari responderunt, eum triginta annos, & ita sanè contigit, imperio potiturum. Naturalia somnia, ex causis ferè intra corpus dormientis latentibus, existere putat Hippocrates, atque hisce somnijs affectiones ipsius corporis aut bonas, aut malas, indicari, hoc est vel plenitudinem ac redundantiam, vel contra inopiam atque inanitatẽ, vel aliquem eorum, qui sunt in corpore humorum, aut corruptum, aut suo loco motum, aut inordinatè & immoderatè agitatum. Horum verò somniorum obseruationem & coniectationem spectare ad medicum, eamq; ad dirigẽdas ordinandasq; curationes permagni referre arbitratur. Plato in Conuiuio, somnia vera & prænuntia futurorum, à dæmonibus proficisci existimat: dæmones enim esse medios inter Deum, qui est immortalis & incorporeus, atque homines corporatos & mortales: quippe cùm sint ipsi & corporei, quales nos sumus, & immortales, qualis est Deus. Deum namque censet Plato nõ immiscere se rebus humanis, nec proximè cum hominibus

Aliorũ sententiæ.

Hippocrates.

Somnium Cyri.

Plato.

Dæmonum natura & munus secundum Platonem.

bus ſocietatem aliquam & conſuetudinem habere, ſed commercia & colloquia inter Deum, homines q̃, ſiue vigilantibus ipſis, ſiue dormientibus, per dæmones agitari & confici. Nimirum, dæmonum munus & officium eſſe inquit, preces & vota hominum referre ad Deum, & Dei munera & auxilia deferre ad homines: per hos, vaticinia, incantationes, magia, omnisq̃ diuinãdi ratio, & prodigiorum effectio, ad homines peruenit. Itaque dæmones eſſe Dei nuncios, interpretes, & adminiſtros: hominum verò eſſe quaſi patronos, aduocatos, magiſtros, & vt fictitio Apulei verbo dicam ſalutigerulos. Atq̃ hæc non ſolius Platonis, ſed ante Platonem etiam Empedoclis & Pythagorę fuit ſententia: de qua, & contra quam, in libro 8. de ciuitate Dei. cap. 20. & 21. & in lib. 9. acutè doctèq̃ diſputat Auguſtinus. *Ariſtoteles.* Ariſtoteles in libello quem inſcripſit de Diuinatione ex ſomnijs ducta, negat vlla dari hominibus à Deo ſomnia. Vera autem ſomnia, inquit, vel eſſe naturalia quædam ſigna, & ex naturalibus cauſis profecta, quæ ſcilicet periti Philoſophi & medici vtiliter obſeruant: vel eſſe quodammodo principia quædam eorum, quæ poſtea vigilantes acturi ſumus: nonnunquam enim in quiete quædam occurrunt, quæ videntur ad aliquid agendum poſſe conducere, quibus pòſt, ſomno excitati ad benè agendum accommodatè vtimur, & iuuamur. *Stoici.* Stoici tres cauſas verorum ſomniorum conſtituunt. Primam Deum, qui cum ſit rerum omniũ ſcientiſsimus & prouidentiſsimus, hominiq́ue beneuolus ac beneficus, quo ſit homo cautior, dat ei ſomnia,

quæ

quæ ſint ipſi futurorum indicia, & eorum, quæ agenda ipſi cauendaq; ſunt, documenta. Alterã cauſam ponunt fatum, quo cuncta ſunt velut æterna quadam ſerie, nexuq; colligata: ſiquidem rerum omnium futurarum, putant Stoici, & antecedentes cauſas, & præcurrẽtia ſigna, tum alijs in rebus, tum etiam in ipſis ſomnijs præmitti. Tertiam cauſam faciunt naturam animi noſtri, quæ, diuina eſt: animus enim hominis, exterioribus ſenſibus per quietem conſopitis, & ab omni actione vacantibus, ipſeq; negotijs curisq; omnibus ſolutus ac liber, vegetior fit & habilior ad intelligendum, tunc enim clarius præterita meminit, præſentia ſentit, futura prouidet. Porphyrius, veritatem ſomniorum refert, partim ad innatas animis hominum notiones, & velut inſignitas rerum omnium notas, quas ex altera vita detulit animus, ad hoc corpus veniens: ſed eo vehementer obrutus, atque oppreſſus, non poteſt eas vigilãtibus ſenſibus cernere: in quiete verò, clariùs ei apparent, atque innoteſcunt. Partim refert ſomnia ad dæmones: ad bonos quidem bona, & veracia: ad malos autem, praua, fœda, & fallacia. Syneſius multa diſputat de ſpiritu phantaſtico, quod eſt vehiculum animæ, eo namque medio, ceu quodam vinculo, cum terreſtri hoc corpore colligatur & copulatur: in quo item ſolutus corpore animus, ex vno loco in alium mouetur, atque in eo maleficiorũ pœnas perſoluit apud inferos, nec ſine eo dum eſt in corpore, quicquam poteſt intelligere. In hũc porrò ſpiritum, omnium quæ ſunt, fuerunt, eruntq; ſimulachra imprimuntur, & in eo lucent tanquam

Porphyrius quid de veritate ſomniorum ſenſerit.

Syneſius mira ſed falſa tradit de ſpiritu phantaſtico.

tanquam in ſpeculo, præſentium quidem rerum, clariora, præteritarum autem, quo ſunt vetuſtiores, minus perſpicua, minima vero futurarum, quæ ſcilicet nec ſunt, nec fuerunt vnquam. Sed quia futuri effectus, in poteſtate cauſarum cohibentur, quaſdam habent prægreſsiones, & præcurſiones ſignorum, quæ hoc minus manifeſta ſunt, quo illa longiùs abſunt, atque in hoc genere, ponenda cenſet ſomnia. Quapropter, ferè obſcuris imaginibus & ſimilitudinibus, res per ſomnia ſignificantur, non æqualiter tamen, ſed prout varia eſt illius phãtaſtici ſpiritus temperies & ratio, ſimiliter vt in ſpeculis, pro varietate eorum materiæ aut figuræ, variæ ac diſsimiles redduntur imagines. Monet præterea Syneſius non parum conferre ad quieta & veracia in ſomno viſa percipienda, benè præparare hunc ſpiritum phantaſticum, moderato nempe victu, honeſtis ſtudijs, & actionibus, ſedandiſqúe animi perturbationibus. Pythagoras certè iturus cubitum, cantu & ſono lyræ ſomnũm captabat, atque hac ratione ad bona lætaq; ſomnia accipienda, ſe ipſe comparabat: ob eandemq; cauſam, eſu fabæ ſuis interdicebat: quod haberet is cibus inflationem magnam, tranquillitati mentis vera quærentis contrariam. Verùm hæc de ſpiritu phantaſtico à Syneſio prodita, nugæ ſunt, & Pythagoræorum ac Platonicorum figmenta, vel ipſis poëtarum fabulis inaniora veritatis, atqúe incredibiliora.

Mos Pythagoræ.

SED, vt aliquid etiam ex auctoribus Eccleſiaſticis delibemus, beatus Gregorius in quarto libro Dialogorum cap. 48. ſex cauſas colligit ſomnio-

mniorum: *Aut enim*, inquit, *ex plenitudine, vel inanitate corporis somnia existunt, aut ex antecedentibus diurnis cogitationibus & curis: aut ex illusione dæmonis, aut ex cogitatione hominis simul & illusione dæmonis, aut ex reuelatione Dei, aut denique ex cogitatione hominis simul & reuelatione Dei.* Easdē sex causas somniorum, cum idē Gregorius commemorasset in lib. 8. Moralium, cap. 13. mox eas aptis diuinæ scripturæ sententijs & exemplis illustrat atque confirmat. *Duo*, inquit, *prima, quæ diximus somniorum genera, omnes experimento cognoscimus: quatuor autem reliqua in sacris literis inuenimus. Nisi enim somnia plerumq; ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquam scriptura dixisset, Ecclesiast. 34. Multos errare fecerunt somnia, & illusiones vanæ, vel certè in Leuit. cap. 19. non esset scriptum, Non augurabimini, nec obseruabitis somnia. Quibus verbis, cuius sint detestationis, ostenditur, quæ augurijs coniunguntur. Rursus nisi aliquando ex cogitatione simul & illusione procederent, Salomon minimè dixisset Ecclesiast. quinto capite, multas curas sequuntur somnia. Et nisi aliquando somnia ex mysterio reuelationis orirentur, Ioseph Geneseos 37. præferendum se fratribus, per somniū non videret, nec Mariæ sponsum, vt ablato puero in Aegyptum fugeret, per somnium angelus admoneret. Rursum, nisi aliquando somnia ex cogitatione simul & reuelatione procederent, nequaquam Daniel visionem Nabuchodonosor edisserens, à radice cogitationis inchoasset, dicens*

D. Gregor. sex causas somniorum tradit.

Matth. 2. Daniel. 2.

cens: Tu rex cogitare cœpisti in stratu tuo quid esset futurum post hæc. Hæc ibi Gregorius. De causis igitur somniorum, sic ab alijs proditum est.

Quatuor causæ verorum somniorum.

EGO causas somniorum, quæ ad significandum aliquid valent, & dignę sunt obseruatione, diligenter scrutatus, eas ad quatuor præcipuas reuocari posse animaduerti.

Prima causa aliqua corporis affectio.

PRIMA causa continet aliquam corporis affectionem, quæ in ipso corpore præpollet, ac præualet, vt si flaua, vel atra bilis, pituitosusúe humor, aut sangũis redundet, aliudúe aliquid vitiatum & corruptum immoderatè iactetur in corpore. Galenus in libro de Præsagijs, quæ ducuntur ex somnijs, narrat quendam somniasse alterum crus factum esse sibi lapideum, mox autem cœpisse illum ea parte corporis fieri paralyticum. Præterea qui instante crisi sudaturi sunt, sæpè somniant se sudare, aut in balneo calidis aspergi aquis, aut in flumine lacuúe natare. Illud quoque nonnunquam vsu venit, vt quod dormientes agimus; aut patimur, etiã somniemus, vt qui in somno sudant, aut febri corripiuntur, itidem se affici somnient. Proditum est à Plinio in libro septimo, capite quinquagesimo, P. Cornelium Ruffinum dormientem amisisse visum, idq; cum sibi accideret, etiam ipsum somniasse.

Secunda animi vehemẽs perturbatio.

ALTERA causa somniorum spectat ad aliquem vehementem concitatumq; animi affectum & perturbationem, amorem dico, spem, metumq;, & odium. Nam qui ardenter amant, frequenter amores suos somniant: qui timent, minacibus & terrificis in somno visis sæpè turban-

bantur. Huc etiam pertinet vetus conſuetudo, & vitæ, quam agimus, exercitatio. Piſcator enim ferè ſomniat maria, lacus, flumina, retia, piſces: venator, nemora, ſaltus, montes, ferasq; : miles tubarum ſonitus, fragores armorum, vulnera, ſanguinem, cædes. Lepidè quidam apud Theocritum piſcator, *omnis*, inquit, *canis panes ſomniat, & ego piſces*. Continet eadem hæc cauſa antecedentes vigilãtium curas & ſolicitudines, & quæcunque nos vehementer premunt, & angunt: quarum rerum, ſæpiſsimè in ſomno, ſimilia viſa contingunt. Quamobrem in libro Eccleſiaſtæ, cap. 5. ſcriptum eſt. *Multas curas ſequuntur ſomnia.*

Somnium Annibalis Italiæ vaſtitatem portendens.

In hoc genere ſomniorum, equidẽ reponerem ſomnium illud Annibalis, & proditum, & creditum à multis. Ardebat Annibal inſatiabili odio Romani nominis, omniq; cupiditate perdẽdi funditùs imperiũ Romanum flagrabat: quò autem faciliùs id perficeret, bellum ex Hiſpania transferre in Italiam cupiebat, arcem imperij Romam, petiturus. Cùm igitur varijs ſuper ea re cogitationibus ac deliberationibus æſtuaret, viſum habuit in ſomno, mirè propoſito ſuo, votoq; reſpondens. Viſus ipſi eſt iuuenis, ſpecie ſupra humanam, qui ſe diceret à Ioue miſſum ducem ei ad inuadendam Italiam, iuſsitq; ne reſpiceret, quid retrò & à tergò fieret. Pauidus primo Annibal, non eſt auſus oculos ab illo quoquam deflectere. Sed, prout eſt humanũ ingenium ad vetita pronum, diu temperare oculis nõ quiuit, reſpiciensq; vidit, horrendum non viſu modo, ſed etiam dictu oſtentum, belluam vaſtam & imma-

immanem, multis circumplicatam ſerpentibus, quacunque incedebat, omnia proterentem, atq; peruertentem: cœlum item nigerrimis vndequaque occæcatum nubibus, denſoſq; ac fulguribus mixtos præcipitare nimbos. Attonito Annibali, percontantiq; ex illo ſuo duce, quid illud monſtri & portenti eſſet, reſpondit ille, vaſtitatem eſſe Italię, pergeret ipſe porrò ire, quò parabat, nec præterea quicquam inquireret, ſineretqúe in occulto eſſe fata. Atq; hoc quidem ſomnium ex antegreſsis in vigilia Annibalis cogitationibus & curis extitit: ſed eius tamen ſomnij veritatem, rei euentus ſatis ſuperq; comprobauit: plus enim mali Annibal Italiæ attulit, quàm illo fuerat viſo præmonſtratum.

Tertia dæmonum calliditas.

TERTIAM cauſam ſomniorum, ego potestati & calliditati dæmonis adiudico. Is enim multa dormientibus inſpirat, & ſuggerit ſomnia, ſemper inſidiosè ac malitiosè, quo videlicet quacunque poſsit ratione incommodet, ac noceat homini. Eſſe autem quorundã ſomniorum dæmonem architectum, atque effectorem, eò liquet, quòd ex ſacris literis planè intelligitur, obſeruationem ſomniorum adeo exoſam eſſe Deo, vt ea magorum, augurum, & incantatorum maleficijs aggregata, extremis damnetur ſupplicijs. Nimirum non aliam ob cauſam, vt interpretatur beatus Gregorius in lib. 4. Dialogorum, cap. 48. niſi quia dæmon plerunque ſe ſomnijs immiſcet, implens noxia ſuperſtitione hominum animos, eosq; non tantùm vanè deludens, ſed etiam pernicioſè decipiens. Hoc genere ſomniorum ſolitum eſſe olim dæmonem

Quædam ſomnia mitti à dæmone.

genti-

gentibus impietate cæcis multifariam illudere, constat argumento Æsculapij, Serapidis, & Amphiarai: nam vt apud Philostratum, Pausaniam, & Strabonem scriptum est, templa eorum adeuntibus, qui varijs morborum generibus afflictabãtur, fama erat tres illos vulgò existimatos, quasi Deos singulorum morborum curationes per somnia præscribere consueuisse. Ex hoc genere fuisse reor nobile illud somnium Alexandri Magni, scriptorum, qui res eius prodiderũt, auctoritate, apud multos fidem promeritum. Cùm enim in quodam prælio Ptolemæus, qui primus post Alexandrum Ægypti rex fuit, venenato telo ictus, summo cum dolore ex eo vulnere moreretur: assidens ei Alexãder, somnoq; sopitus, vidit in quiete draconem radiculam ore ferentem, simulq; commonstrantem, quò illa loci nasceretur, quæ scilicet præsentissimam vim haberet Ptolemæum, multosq; milites eodem teli genere vulneratos, protinus sanandi. Quæsita est herba, inuenta, adhibita, mox consecuto, qui promissus fuerat effectu. Sunt autem duo somniorum dæmonis præcipua genera, alterum pertinens ad occultarum rerum demonstrationem & significationem. Potest enim dæmon naturales effectus ex certis causis aliquando necessariò prouenturos, potest quæcunque ipsemet postea facturus est, potest tam præsentia, quàm præterita, quæ hominibus occulta sunt, cognoscere, & hominibus per somnium indicare. Alterum somnij genus vim habet concitandi perturbationes animi, agitatis turbatisq; qui sunt in corpore humoribus & spiritibus, quò

Somnium Alexandri Magni.

Duo genera somniorum dæmonis.

nimirum inflammentur homines, vel ad libidinem, vel ad odium & vindictam, vel alios prauos animi affectus.

Quomodo internoſci poſſint ſomnia dæmonum ab aliis ſomnijs.

DVPLICITER porrò, & quidem ſatis probabiliter, coniectari poteſt, quæ ſomnia miſſa ſint à dæmone: primò quidem, ſi frequenter accidant ſomnia ſignificantia res futuras, aut occultas, quarum cognitio non ad vtilitatem, vel ipſius, vel aliorum, ſed ad inanem curioſæ ſcientiæ oſtentationem, vel etiam ad aliquid mali faciendum conferat: eorum ſomniorum auctorem eſſe dæmonem, non temerè credetur: quippe qui ea ratione tentet animos hominũ vana imbuere ſuperſtitione, quin etiam crimine impietatis obſtringere. Deinde, ſi ſobrijs, caſtis, & religioſis viris, tetra, obſcæna, plenaq; crudelitatis, & impietatis ſomnia ſæpenumerò contingant, ea proficiſci à dæmone, non immeritò exiſtimabitur. Dæmon enim conatur impuris ſomnijs polluere ac fœdare dormientium corpora, vt eius fœditatis, etiam animos expergiſcentium, quodammodo participes faciat. Quod ſi ne hoc quidem aſſequi poteſt, illud ſaltem curat, vt pios homines talibus viſis contriſtando, perturbando, & affligendo, ad orationem, ad charitatis officia, ad diuinorum ſacramentorum perceptionem, ſegniores, frigidioresq; reddat. Cuius diabolicæ calliditatis & malitiæ, luculentiſsimum in vigeſima ſecunda Collatione cap. 6. Caſsianus narrat exemplum. Verum hac de re Iuſtinus Martyr in reſponſione ad quæſtionem vigeſimam primam Orthodoxorum, diſertè doctéque ſententiam ſuam expoſuit. Nam cùm hæc

ſibi

sibi ab illis posita esset, quæstio, ad eam ipse quæstionem ita respondet, vt nos hîc diximus. Restat quarta & vltima somniorum causa, quam diuinam ritè nominare possumus: cuius potissimum gratia omnis hæc nostra instituta est disputatio, huic enim, vel declarãdæ, vel illustrandæ, adhuc prædicta deseruiunt. Somniorum autem, quæ à Deo missa sunt, exempla, passim in diuinis libris sunt obuia: nos suprà ex sacris libris multa protulimus, pluraq; possent afferri, si quis omnia vellet colligere. Cæterum vt vis & natura diuinorum somniorũ pleniùs planiusq; cognoscatur, quæstiones aliquot more scholastico, distinctè quidem, sed carptim, breuiterq; perstringam, multa etiam, breuitati seruiens, lectoris cogitationibus integra illibataque reseruabo.

Quarta causa somniorum diuina.

QVÆSTIO III.

QVIBVS SIGNIS COGNOSCI queat, sit aliquod somnium à Deo missum, necné.

DVPLICITER, prout nunc mihi succurrit, deprehendi potest, quodnam à Deo sit missum somnium. Primò quidem, ex præstantia rerum, quæ per somnium significantur: nimirum, si ea per somniũ innotescant homini, quorum certa cognitio, solius Dei concessu ac munere potest homini contingere, huiusmodi sunt, quæ vocantur in scholis Theologorum, futura contingentia, arcana item cordium, quæq; intimis animorum incluſa recessibus, ab omni penitus

Duplex ratio cognoscendi diuina somnia.

nitus mortalium intelligentia obliteſcunt, denique præcipua fidei noſtræ myſteria, nulli, niſi Deo docente manifeſta. Somnium igitur quod eiuſmodi rerum cognitionem & demonſtrationem cõtinebit, diuinum eſſe exiſtimari poterit. Deinde, hoc ipſum maximè declaratur interiori quadam animorum illuminatione atq; commotione, qua Deus ſic mentem illuſtrat, ſic voluntatem afficit, ſic hominem de fide & auctoritate eius ſomnij certiorem facit, vt Deum eſſe ipſius auctorem, ita perſpicuè agnoſcat, & liquidò iudicet, vt id ſine dubitatione vlla credere, & velit, & debeat. Huc ſpectat memorabilis illa in lib. 4. Dialogorum, cap. 48. B. Gregor. ſententia: *Sancti viri*, ait Gregorius, *inter illuſiones, atque reuelationes, ipſas viſionum voces & imagines, quondam intimo ſapore diſcernunt, vt ſciant quid à bono ſpiritu percipiant, & quid ab illuſore patiantur. Nam ſi erga hæc mens hominis cauta non eſſet, per deceptorem ſpiritum, multis ſe vanitatibus immergeret, qui nonnunquam ſolet multa vera prædicere, vt ad extremum valeat animam ex vna aliqua falſitate laqueare.* Hactenus Gregorius: apud quem hanc ipſam ſententiam, ſed plenius ac luculẽtiùs tractatam, in lib. 8. Moralium, cap. 13. lector inueniet. Quemadmodum igitur naturale mentis noſtræ lumen facit nos euidenter cernere veritatem primorum principiorum, eamq; ſtatim, citra vllam argumentationem, aſſenſu noſtro complecti: ſic in ſomnijs à Deo datis, lumen diuinum animis noſtris affulgens, perficit, vt ea ſomnia, & vera & diuina eſſe intelligamus, certoque

Memorabilis ſententia D. Gregorij.

toq; credamus. Rectè igitur illud traditur in libro Eccleſiaſt.cap. 34. *Niſi à Domino miſſa fuerit viſitatio, ne des in ſomniis cor tuum.* ex quo ſignificatur, nonnulla ſomnia dari hominibus à Deo, animos eorum mirabiliter viſitante.

HAEC autem Dei per ſomnia viſitatio, ſicut ex diuinis literis colligitur, multis & diuerſis fieri ſolebat. Nonnunquam enim Deus per ſomnia turbabat, & terrebat hominem, ſicut de Abimelech, & Laban narratur in libro Geneſeos: *Terrebis me*, inquit Iob 47. *per ſomnia, & per viſiones, horrore concuties me.* Aliquãdo in ſomno hortatur & incitat hominem Deus ad magnũ quidpiam & arduum ſubeundum, certam ſpem proſperi exitus præſignificando: velut in Gedeonis & Iudæ Machabæi ſomnijs euenit. Sæpè monet & docet, quid hominem agere, aut fugere oporteat: talia fuere beati Ioſeph & Magorum ſomnia: huc ſpectant illa verba, quę ſunt in cap. 33. libri Iob. *Quando homines dormiunt in lecto, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, inſtruit diſciplina.* Quin etiam ſolebat olim Deus ſpiritum propheticum nonnullis in ſomno largiri: nam in libro Numerorum, cap. 12. ait Deus: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, apparebo illi in viſione, aut per ſomnium loquar ad illum.* Et apud Ioëlem in cap. 2. inter alia Spiritus ſancti dona, numerantur ſomnia. Legimus etiam in 3. Reg. Salomoni fuiſſe à DEO promiſſum inſomno prudentiæ, & ſapientiæ donum. Interdum quoque futura alicuius viri excellentia, dignitatis &

Varijs mõdis Deus afficit homines per ſomnia. *Gen. 20. & 31.*

Iud. 7.

2. Mach. 11.

Matth. 2.

3. Reg. 3.

Geneſ. 37. Eſth. 11. gloriæ, præmonſtrata eſt per ſomnium, id quod adoleſcenti Ioſeph, & Mardochæo accidiſſe legimus in ſacris literis. Quibuſdam præterea in ſomno patefacta ſunt diuina myſteria, cuiuſmodi fuit ſomnium Iacob de illa myſtica ſcala, & *Geneſ. 28. Daniel. 7.* Danielis de regno Chriſti. Denique præſignificauit aliquando Deus, & prædocuit futuros rerum humanarum euentus: cuius generis fuêre ſomnia Abraæ, Geneſ. 15. Pharaonis, Geneſ. 41. & Nabuchodonoſor, Danielis 2. & 4.

Varijs modis diuina contingunt ſomnia. VARIIS item modis diuina ſomnia hominibus contigerunt, interdum cum magna corporis & animi commotione & horrore, ſicut accidit Abraæ, & Nabuchodonoſor. Nonnunquã datum eſt alicui ſomniũ, ſed non eius ſomnij intellectus, ſicut in ſomnijs Pharaonis & Nabu- *Geneſ. 15.* chodonoſor animaduertere licet. Danieli tamẽ, cęterisq; prophetis, ſimul cum ſomnijs, intelli- *Daniel. 2. Geneſ. 41. Geneſ. 37.* gentia eorum diuinitus ſuggerebatur. Quamquam duorum ſomniorũ, quibus Ioſeph ſupra fratres ipſius futura dignitas & poteſtas præſignabatur, nulli tunc datus eſt intellectus: ſed poſtea ipſo euentu, ſucceſſuq; rerum, veritas eorum ſomniorum cognita eſt, atque comprobata. Illa quoque in ſomnijs diuinis varietas cernitur: alia enim clara ſunt, & aperta, euidenter res ipſas ſignificantia, vt fuere ſomnia beati Io- *Matthæi 1. & 2. Actor. 16.* ſeph, triũ Magorum, & D. Pauli: alia vero ſunt inuoluta & obſcura, per varias ſimilitudines rectè aliquid inſinuãtia, huiuſmodi fuere ſomnia *Geneſ. 41. Daniel. 2. Geneſ. 40.* Pharaonis de ſeptem ſpicis, & bobus, & Nabuchodonoſor de ſtatua & arbore, nec non & pincernæ, atque piſtoris ipſius Pharaonis. Adhæc, inter-

interdum videtur in somno loqui cum homine, vel Deus ipse, vt in somnio Iacob, & Salomonis, vel angelus, vt in somnijs beati Ioseph, vel homo aliquis, vt in somnio D. Pauli. Præterea sæpè Deus vltro mittit somnia, nonnunquam etiam rogatus, quemadmodum interpretationem somnij, quod acciderat Nabuchodonosor, Deus in quiete tradidit Danieli, qui eam ab ipso vigilans intentissima precatione postulauerat. Quin fuisse quondam apud Hebræos admirabilem quandam rationem & consuetudinem in rebus maximè dubiis atque grauissimis, consulendi Deum, vt quod verum esset, aut quod facto esset opus, per somnia indicaret, ex cap. 28. primi libri Regum, intelligitur. Postremò quædam somnia diuinitus data respondent antecedentibus in vigilia hominum cogitationibus & curis, ad hoc genus referri debet primum somnium Nabuchodonosor, à Daniele 2. capite narratum, itemq; primum beati Ioseph, quod in capite primo narrat D. Matthæus, atque illud Annibalis supra memoratum, illud quoq; Scipionis Æmiliani, à Cicerone, vel acutè confictum, vel disertissimè narratum.

Genes. 28. *3. Reg.* 3. *Matth.* 1. *& 2.* *Actor.* 16. *Daniel.* 2.

QVÆSTIO IV.

CVR DEVS IN SOMNO ARCANA sua hominibus referet.

CVM animus hominis in somno, minimè docilis, minimeq; habilis ad percipiendas res diuinas esse videatur, dignum sanè videtur inquisitione, cur Deus per somnia & arcana suæ

prouidentiæ, & myſteria rerum cœleſtium, non rarò docere homines voluerit. At enimuerò, multas eius rei, variasq; cauſas afferre poſſumus. Primam cauſam tangit Hippocrates in principio libri de Inſomnijs, animam hominibus in vigilia varijs diſtingui occupationibus, grauibus diſtineri negotijs, curisque diſtrahi: per ſenſus item exteriores euocari ad ea, quæ extra ipſum ſunt, & per varia eorum ſenſuum ſpectacula diuagari, multiplicique rerum humanarum ſtrepitu interpellari, & à ſui, rerumq; cœleſtium conſideratione auocari, incertis præterea fluctuare deliberationibus, varijsq; ſtudijs & affectibus æſtuare, qui nõ ſinunt eum, quod verum & rectum eſt, id aut liquidò cernere, aut incorruptè iudicare. Contrà verò in quiete & ſomno, ab eiuſmodi omnib⁹ interpellationibus & impedimentis vacuus & liber animus, ſibi totus præſens & præſto eſt, ſibiq; attendit, in ſe ſuas omnes vires, atque facultates collectas & coniunctas habet, expeditus & acer ad intelligendum, atque omnium, quæ illi extrinſecus obiecta ſint, ampliſsimè ac facillimè capax. Alteram eiuſdem rei cauſam hanc ponere licet, quæ vigilantes accipimus, ea ſolemus ſubtiliter ratiocinando diſcutere & examinare, reuocare ad calculos, atque humanæ rationis trutina diligẽter expendere: ad rationis enim normam exigimus omnia: cui ſi congruant, quæ nobis oblata ſunt, à nobis approbantur, ſi diſcrepent, abiudicantur atque reijciuntur. In ſomno autem res ſibi obiectas animus hominis citra examen accipit, paratior promptiorq; ad viſis diuinitus

Quinque cauſæ cur dormientibus multa diuinitus reuelentur.

Habilior animus noſter in ſomno adpercipiendas diuinas reuelationes.

datis

datis credendum, atque obsequendum. Constat autẽ inter omnes qui de rebus diuinis scripserunt, ad eas res non tantùm intellectu, sed etiam affectu, & quodam animi quasi sensu, gustuq; percipiendas, satius esse agi & regi hominem extrinsecus, quàm ipsum agere se, & auditorem esse potiùs, quàm arbitrum, & existimatorem, deniq; simpliciter credere potiùs, quàm causas credendi disquirere & expendere. Tertia causa ex Aristotelis libello, qui inscribitur de Diuinatione, quæ fit ex somnijs, desumpta est: ait ille, *Quemcunque motum, quo animus dormientis extrinsecus pulsatur & cietur, quamnis leuem & exiguum, magnam tamen habere vim commouendi animum, vehementerq; in ipsum imprimi, atque altè in eo inhærere: id autem fieri propter noctis silentium, & sensuum exteriorum vacationem & quietem, atq; omnium, quæ animi intentionem remittere solent, vacuitatem, tunc enim sensibus somno consopitis, languenteq; corpore, quæ extrà sunt, nequaquam sentiuntur.* Aristotelis. Quapropter opportunissimè Deus eo tẽpore docet hominem sine vlla eius perturbatione, sine aliorum hominum obseruatione, denique sine vllius rei interpellatione: præsertim autem, quia quò magis animus noster à sensuũ consociatione, & corporis contagione abstrahitur, tantò videtur effici vegetior, & acrior ad res diuinas intelligendas. In somno autem, qui est imago quædam & repræsentatio mortis, videtur animus quodam modo seiugari à consortio corporis, eiusque vinculis, si non omninò, certè

aliquatenus relaxari. Quartã cauſam eſſe arbitror, vt ea re oſtendatur, quantò ſit Deus potentior, & efficacior ad hominem docendum & erudiendum, quàm ſit alius quiuis homo: quippe homo hominem docere, niſi vigilantem, audientem & attendentem non poteſt: Deus autem, etiam altiſsimè dormientem, atque ſomniantem. Quo ſatis declarat ſe in omnes humani animi vires, ac facultates ſummum imperium, & efficacitatem habere. Quintam cauſam equidem poſuerim, ne videlicet quiſpiam exiſtimaret, mortem auferre homini omnem ſcientiam: aut non eſſe aliam viam rationemq; comparandi ſcientiam, quàm per ſenſum, diſcurſumque rationis, & ex antecedenti aliarum rerum cognitione. Auerrores quidem ſuper libello Ariſtotelis de Diuinatione per ſomnia, in commentario ſuo, non audet inficiari prophetiam poſſe homini accidere, vel in ſomno, vel per reuelationem, negat tamen ea ratione vel artes, vel ſcientias ſpeculatiuas poſſe vlli contingere. *Vna*, inquit, *eſt natura hominis: vnus igitur duntaxat erit intelligendi, & diſcendi modus, ſcilicet internuntijs ſenſibus, varijs item præceptis experimentis, diligentiaq; ratiocinatione. Nam ſi præter communem, & vſitatum diſcendi modum, eſſet hic alter per ſomnia, vel reuelationem, cùm is multo ſit facilior, atq; præſtantior, ille alter quò difficilior & laborioſior eſt, eò magis fuiſſet ſuperuacaneus, non igitur datus eſſet homini. Deus namq;, & natura nec fruſtra quicquam faciunt, & de ijs, quæ poſſunt fieri, quod melius & præſta-*

Contra Auerrorem.

præstabilius est, nunquam non faciunt. Sic ille. Quæ sanè argumentatio, non esset planè infirma, si quisquam diceret, nemo tamen nostrum id dicit, modum illum discendi per somnia, vel per reuelationem, aut esse homini naturalē, aut esse frequentem, & vsitatum. Verùm hæc Auerrois commenta, vt alia eiusdem, de scientia, potentia, & prouidentia Dei, & humani animi natura, ex insciti diuinarum rerum, & impietatis fonte redundantia, quàm sint inerudita, obtusa, falsaq; , satis liquet vel solis exemplis, quæ memorantur in sacris literis, Adami, Salomonis, Danielis, multorumq; Prophetarum, quibus multarum rerum scientia subitò data est à Deo: quin etiam Beseleel, & Oliab, quos in libro Exodi proditum est, subito diuinitus edoctos, Mosaicum tabernaculum, simul cum omnibus eius instrumentis atque ornamētis, summa arte perfeciſſe. *Gen. 2. 3. Reg. 3. Exod. 31.*

QVÆSTIO V.

CVR A DEO SOMNIA DENTVR *obscuris & indoctis hominibus, non autem sapientibus.*

VEL hac vna ratione Aristoteles & Cicero omnium somniorum, quæ diuina credun- *Error Aristotelis & Ciceronis.*
tur, fidem & auctoritatem eleuari, & eludi posse putauerunt. *Nam, si quæ somnia,* inquiunt, *darentur hominibus à Deo, ea non obscuris & indoctis hominibus, sed viris sapientia prudentiaq; præstantibus dari, par erat.* In quo fefellit eos, quòd distinctionem diuinorum somniorum, eorum dico quæ verè

verè diuina ſunt, ab ijs, quæ non ſunt, eſſe tamen falsò putantur, planè ignorauerunt. Enimverò Dij Gentiliũ, quos fuiſſe dæmones nobis Chriſtianis nequaquã dubium eſt, quemadmodum futuros rerum humanarum caſus & euentus certò prouidere, ac ſcire non poterant, id enim ſolius Dei eſt, ita nec eos certis aut verbis, aut ſignis prædicere, ac prẹmonſtrare poterant. Quapropter ſomnia, quibus præſignificabantur futura, non dabant viris doctis & prudentibus, videlicet ne illi eorum ſomniorum vanitatem, ac falſitatem deprehendentes, auctoritatem ipſorum Deorum apud alios contererent, eorumq; oracula tãquam diuinitatis vacua, & inania veritatis, in publicum etiam vulgi ludibrio, & cõtemptui exponerent: dabant igitur ea ſomnia indoctis, & veri falſiq; diſcernendi imperitis, maximè vero ſuperſtitioſis, ob idq; ad credendum quiduis, ſatis per ſe paratis atque propenſis. At vero ſomnia, quæ à vero Deo miſſa ſunt, ea legimus plerunq; data viris ſanctitate, ac ſapientia eximijs, vt Abraæ, Iacob, Salomoni, & Danieli. Data ſunt tamen etiam nonnulla viris non admodum doctis, ſed pietatis tamen, ac innocentiæ præſtantia clariſsimis: excellens autem virtus & pietas, dociliorem reddit hominis animum, aptioremq; ad rerum diuinarum perceptionem, quàm humana vel prudẽtia, vel ſapientia. Qui enim mundana excellunt potentia, vel ſapiẽtia, hi ferè ſunt aut impij, aut ſuperbi, aut turpiſsimis inquinati flagitijs: quæ res cœleſtibus doctrinis, diuinisq; illuſtrationibus, aditum ad animos hominum, penitus occludũt.

Cur dæmones ſomnia olim dare ſoliti fuerint, non doctis & prudentibus, ſed imperitis, & cõtemptiſſimis hominibus.

Nec

Nec me fugit, etiam quibuſdam ſceleratis atque impijs hominibus, vt Pharaoni, & Nabuchodonoſor, quædam diuinitus ſomnia contigiſſe, ſed hæc illis, nec ipſorum prę cipuè cauſa, neq; cum intelligentia eorum ſomniorum data ſunt: quo ſcilicet illi, eorum interpretationem, cùm apud ſuos ſapientes inuenire non poſſent, à veri Dei cultoribus eam petere cogerentur, atque ea ratione verum Deum agnoſcerent, ac venerarentur, eiuſq; ſeruos in admiratione & honore haberent: id quod ſomnia Pharaonis & Nabuchodonoſor à Ioſepho & Daniele interpretata, manifeſtè declarant.

Cur quædam ſomnia etiam impijs hominibus à Deo ſint data.

QVÆSTIO VI.

CVR DIVINA SOMNIA NONNVNquam ſint obſcura & perplexa.

SED cur diuina ſomnia non ſemper ſint clara, & aperta, ſed obſcura, & perplexa, & aliarum rerum imaginibus, ac ſimilitudinibus inumbrata, & offuſcata, nec alijs tãtùm occulta, ſed etiam ijs, quibus dantur, minimè conſpicua, cauſas rimemur & aperiamus. Dij Gentilium, hoc eſt dæmones, quia certam futurorum euentuum ſciẽtiam habere non poterant, ad ſignificanda futura, dabant illi quidem non rarò ſomnia, ſed obſcura tamen, & ambigua, quæ q; ad diuerſos, etiam cõtrarios euentus facilè detorqueri & applicari poſſent: vt ad quodcunq; cecidiſſet, ſomnium quadrare videretur. Quod ſi ſomnia euentis minimè reſponderent, id non falſitati ſomniorum, ſed interpretum inſcitiæ, qui ſomnia propter

Aſtutia dæmonum in dandis ſomnijs futura ſignificantibus.

propter obſcuritatem & ambiguitatem non ritè eſſent interpretati, adſcriberetur. At verò ſomnia, quorum auctorem fuiſſe Deum ex ſacris literis cognouimus, ſæpenumerò diſtinctè & explicatè tradita ſunt, qualia legimus fuiſſe Abimelech, Labã, Iudæ Machabæi, Salomonis, beati Ioſeph, & trium Magorum. Non eſt tamen negandum quædam ſomnia eſſe data tectè & obſcurè, ſed hominibus gentilibus: ad eum nempe finem, vt intelligentiam eorũ ſomniorum, cùm non ab alijs, quàm à viris ſanctis accipere poſſent, & ipſos Dei ſeruos honorarent, & ſumma Deum reuerentia, ac veneratione proſequerentur. Si quæ verò ſomnia etiam ſeruis Dei obſcura data ſunt, propterea id factum eſt, vt eorum ſenſum atque intellectum, ſummo illi ſtudio, aſſiduis precibus, multisq; lachrymis à Deo flagitantes, tandem impetrarent, & propter difficultatem impetrandi, pluris facerent, & cariorem haberent. Denotatur præterea obſcuritate ſomniorum, earum rerum, quæ ſignificantur ſomnijs, obſcuritas. Adde quòd per imagines, & ſimilitudines, breuiſsimè plura & ſublimiora myſteria ſignificãtur, quàm ſi apertis & proprijs fuiſſent expreſſa vocabulis. Nam quàm multa, quàm varia, quàm profunda myſteria, vna illa ſtatua Nabuchodonoſor in quiete viſa, adumbrauit, quæ ſi fuiſſent proprijs verbis efferenda, vix longiſsima oratione declarari potuiſſent. Denicq; vult Deus nonnunquam, ſomnia eſſe ad aliquod tempus occulta & incognita, quò ad nimirum, ipſo euentu, rerumq; ſucceſſu, eorum veritas agnoſcatur & comprobetur: quod in duobus

Quatuor cauſæ cur interdum diuina ſomnia ſint valde obſcura.

duobus illis Ioſephi ſomnijs, promotionem eius ad ſummam potentiam & dignitatem præſignantibus, liquidò cernitur.

QVÆSTIO VII.

AN LICITVM SIT CHRISTIANO *homini, obſeruare ſomnia.*

DVAE tanguntur his verbis difficultates, & prior quidem eſt, an ſit fas Chriſtianis, curiosè ſomnia obſeruare: ad quam facilis eſt, & in promptu reſponſio. Etenim quædam ſomnia licitum eſt obſeruare, quædam verò minimè. Principiò, ſomnia quæ bonam, vel malam corporis affectionem aliquam, morboſq; tam animi, quàm corporis ſignificant, vtiliter à medicis tam animi, quàm corporis obſeruantur & expenduntur. Tum, ſomnia, quæ nos crebrò infeſtant, territant, cõturbant, & vexant, animaduertere quibus ex cauſis accidant, vt vel noti effectus ignotas nobis cauſas ſcrutemur, ac teneamus: vel vt rationem aliquam ineamus eam à nobis moleſtiam depellendi, licitum eſt, & à ſanctis viris ſæpè vſurpatum. Legimus enim apud Caſsianum in Collatione 22. veteres illos monachorum magiſtros & rectores, in perquirendis, & excutiendis quorundam ſomniorũ cauſis, diligenter eſſe verſatos. Poſtea obſeruare ſomnia, quatenus in illis pernoteſcit homini veritas aliqua pertinens ad ſcientias ſpeculatiuas, vel ad res gerendas conferens, nec vt ſuperſtitioſum, nec vt vanum damnari debet. Deniq;, ſomnia quæ nos ſæpè commoẽut, & incitant ad flagitia,

Quatuor genera ſomniorum, ſine vllo poſſunt obſeruari & curari.

gitia, conſiderare num à dæmone nobis ſubij-ciantur, ſicut contrà, quibus ad bona prouocamur & inſtigamur, veluti ad cælibatum, largitionem eleemoſynarum, & ingreſſum in religionem, ea ponderare num à Deo nobis miſſa ſint, nō eſt ſuperſtitioſi animi, ſed religioſi, prudentis, ac ſalutis ſuæ ſatagentis, atque ſolliciti.

AT verò, cuiuſcunque ſomnij, quoquo modo nobis contingat, etiam ſi rarò, ſi temerè, ſi fortuitò eueniat, putare habendam eſſe rationē, curamq; ſuſpiciendam, ſtolidi hominis eſt, ne dicam ſtulti. Supra enim oſtenſum eſt, maximā partem ſomniorum nihil veri, & certi habere, ſed vanitatis, ac temeritatis eſſe pleniſsimam. Præterea obſeruare ſomnia, quaſi eſſet in ipſis aliquid diuinum, ſcilicet quale Gentiles exiſtimabant eſſe in garritu, volatu, cibatuq; auium, & in extis animantium, atque ex illis prænoſſe, ac diuinare velle futura, non modò non eſt licitum, ſed eſt in ſcriptura grauiſsimè reprehenſum, damnatum, & interdictum, non minus ſanè quàm magorum, & incantatorum maleficia, quod ex cap. 19. Leuit. ex 18. Deuteron. ex 33. poſterioris libri Paralipomenon, alijsq; ſacrorum voluminum locis perſpicuè intelligitur. Et verò, ſcire velle futura, quæ Deus in ſua ſolius poteſtate poſuit, arrogans & impia eſt curioſitas. Putare autem certa futurorum ſigna contineri in ſomnijs, quæ nullam cum rebus futuris connexionem & conuenientiam habent, fatuum eſt: parum dixi, planè impium, & ſtultum eſt: hoc enim arguit eiuſmodi ſomniorum obſeruatores, ſtultis, impijs, & abſurdis opinionibus eſſe

esse infectos, atque deprauatos. Nam, vel isti putãt res omnes futuras, ex naturalibus causis pendere, & hoc falsum est: vel eas res quibuslibet somnijs significari posse, quod planè stultũ est: vel futura omnia certò prouideri, & sciri à dæmone, quod est perquàm impium: vel denique à Deo promiscuè, atque indiscretè per quælibet somnia, & quibuslibet hominibus, præmonstrari futura, quod esse absurdum, nemo nõ videt. Ad extremum, tanti facere somnia, & vsq; adeò pendere ex illis, vt ad eorum quasi normã dirigat quis omnem vitæ suæ rationem, & respectu habito ad somnia, actiones, & negotia, vel suscipiat, vel omittat, non modo præstantia hominis indignum est, sed olet etiam fatalẽ illam Stoicorum, toties in Ecclesia damnatam, & à melioribus philosophis explosam reiectamq; necessitatem. Quòd si meritò vituperantur, & à sapientibus redarguuntur astrologi, qui res humanas ex astris, quasi suspensas & religatas omninò pendere arbitrantur: eò magis profectò, reprehendendi sunt superstitiosi somniorum obseruatores, quò magis astra dignitate naturæ, æquabilitate motus, constantia ordinis, amplitudine potestatis, & præstantia efficacitatis, somnijs antecellunt.

Maior Vanitas est obseruantium somnia, quam astra.

QVÆSTIO VIII.

CVIVS HOMINIS SIT RITE INTERpretari somnia.

AD posteriorem quæstionem, qua qũæritur, cuius hominis sit benè interpretari somnia,

nia, hunc in modum reſpondemus. Somniorum quæ vim habent ad aliquid ſignificandum, & obſeruatione, atque interpretatione digna ſunt, ea non cuiuſuis hominis eſt interpretari. Tria enim huiuſmodi ſomniorum genera diſtingui poſſunt, nam multa ſunt naturalia, quædam humana, nonnulla etiam diuina. Naturalium ſomniorum interpretatio, nõ eſt dubium, quin ſolertium & doctorum phyſicorũ, ac medicorum ſit propria: eorum maximè, qui norunt ſimilitudines in ſomnijs oſtenſas comparare inter ſe, & quarum rerum ſimilitudines eſſe, & ex quibus cauſis proficiſci ſoleant, diſcernere: ſimiliter, vt qui figuras aliquas & imagines dilaceratas ſumens in manus, earumq; partes diſſipatas, benè componens inuicem, aptéq; conformans, cuius rei fuerint ſimilitudines, hominiſné, an equi, an aliarũm rerum, acutè diſpicit, vereq; iudicat. Humanorum autẽ ſomniorum, ita erit quiſque ſagaciſsimus coniector, & idoneus, ac veridicus interpres, vt fuerit rerum humanarum peritiſsimus, & callidiſsimus, ingeniorum item, ſtudiorum, morum, & propenſionum, quę in varijs hominibus magnam quoque varietatem habent, exquiſitam, multiſqúe confirmatam experimẽtis notitiam ſit adeptus, quaſi venas omnes rerum ciuilium & humanarum tenens. Cuius autem ſit exponere diuina ſomnia, in promptu eſt intelligere: patet enim, neminem interpretari ea poſſe, niſi diuinitus afflatum & eruditũ. *Nemo enim nouit*, inquit Paulus primæ ad Corinth. ſecundo, *quæ Dei ſunt, niſi*

niſi ſpiritus Dei. Præſertim vero cùm diuinorum ſomniorum ſignificationes, ex ſolius Dei conſilio & voluntate ſint inſtitutæ, ob idq; ſolius Dei reuelatione, notæ hominibus eſſe poſsint. Quocirca regem Nabuchodonoſor ſomnij ſui, quo maximè territus fuerat, ſollicitum & anxium, quod eius ſomnij rationem ex nullo ſuorum ſapientū cognoſcere potuiſſet, ſic affat⁹ eſt Daniel, *Myſterium, quod rex interrogat, magi, arioli, aruſpices, & ſapientes nequeunt indicare regi: ſed eſt Deus in cœlis reuelans myſteria.* *Daniel. 2.*

IAMBLICVS exiſtimat diuina ſomnia ferè non contingere hominibus, niſi aut primo, aut extremo ſomni tempore: videlicet, quia tunc animus hominis, aut nondum eſt cibi potusq; vaporibus occupatus, & oppreſſus: aut iam euaneſcente ſomno, vaporumq; diſcuſſa caligine, ex illis ſordibus emerſus animus, purior & acrior eſt ad diuinas illuſtrationes accipiēdas. Quapropter vates, ac ſomniorum interpretes, in more habebant, ex deferentibus ad ipſos ſomnia ſciſcitari, quo ea tempore ipſis contigiſſent: nam ſi profundo ſomno accidiſſent, ea planè abijciebant, rati non eſſe conſentaneum, animo tunc obruto & demerſo, dari cælitus ſomnia: ſin autem ſomnia illis accidiſſent, exeunte ſomno, & animo ad ſuas functiones propè iā expergiſcente, tunc ea ſomnia diuinitus miſſa, Deoq; auctore digna iudicantes, ponderanda ſibi & interpretanda ſuſcipiebant. Legendus etiam eſt Philoſtratus in cap. 14. lib. 2. de vita Apollonij. Veruntamen Iamblici documenta ex ſuperſtitioſis

Iamblici opinio, de tempore quo diuina ſomnia cōtingant hominibus refutatur.

Ægyptiorum ſacerdotum obſeruationibus, vel vt dicam veriùs, figmentis, quorum fuit ille ſtudioſiſsimus, exprompta ſunt. Deus nempe, iſtiuſmodi temporum legibus non eſt alligatus, nec opportunitate temporum eget ad operandum, vbicunq; enim vult, quãdocunq;, & quibuſcunque vult, ſua inſpirat ſomnia: poteſt enim quouis tempore, imò etiam ſine tempore, ſedare ſubitò agitationem humorum, tranquillare ſpirituum animalium iactationem, purgare phantaſiam, mentem illuſtrare, animumq; ad percipiẽda diuina ſomnia idoneè comparare.

QVÆSTIO IX.

AN IN SOMNO, LIBER VSVS RAtionis, & voluntatis eſſe queat.

Sæpè in ſomnio liber eſt rationis vſus.

SÆPENVMERO in ſomnijs, præſertim quæ doctis, prudentibus, & ſanctis viris contingunt, animus hominis, quod pertinet ad vſum rationis, & agitationem mentis, ſolutus, expeditus, ac liber eſt. Etenim nonnunquam ratio dormientis planè cognoſcit res ſimplices, easq; vel componit inuicem, vel diſiungit, ratiocinatur, iudicat, miratur, noua quædã inuenit: quin etiam ad ſe ipſe animus conuertitur, & ad ſuas actiones conſiderandas, & diiudicandas aciem ſuam, vimq; reflectit, cunctatur, hæret, dubitat, ſecum ipſe diſceptat, an tunc homo dormiat, nec ne. Hæc autem liberum eſſe tunc rationis vſum, manifeſtè demonſtrant. Non propterea tamen exiſtimandum eſt, quia in ſomno interdum ſoluta eſt vis rationis, eſſe itidem perfectũ liberi

Nunquam in ſomno eſt perfectus liberi

liberi arbitrij vſum. Nam ad plenum & perfectum liberi arbitrij vſum, opus eſt perfecta hominis libertate, hoc eſt, ſolutione omnium ſenſuum, & potentiarum, ita vt ſit ipſe homo, qui tunc agat, nec aliundè agatur, ſitq; dominus ſui, atque ſuarum omnium actionum, & in poteſtate eius ſit tunc hoc, vel illo modo agere, aut etiam nihil agere: id quod in ſomno nequaquam euenit. *arbitrij & ſui.*

QVÆSTIO X.

DE SOMNIO SALOMONIS, IN QVO donum ſapientiæ à Deo promiſſum ei, & tributum eſt.

CÆTERVM nonnihil habet difficulatis, quod legitur in 3. lib. Regum, cap. 3. Deum in ſomno viſum eſſe Salomoni, iuſsiſſeq;, vt peteretur ab ipſo quodcunq; omnium maximè optaret: ipſum autem petijſſe ſapientiam, & prudentiam benè regendi populum, cui præerat, poſthabitis omnibus alijs bonis, quæ tamẽ, principibus huius mundi, ſuper omnia, cõcupiſcenda, & expetenda videntur,: eam porrò petitionem vſque adeo placuiſſe Deo, vt ſummam ei ſe daturum ſapientiam, & præterea quæ non poſtulaſſet bona, cumulatiſsimè largiturum polliceretur. Ex qua narratione ipſius ſcripturæ, ſatis intelligi videtur, Salomonem in illo ſomnio ſolutè ac liberè, non tantùm ratione, ſed etiam voluntate eſſe vſum: neque enim illa eius petitio facta in ſomno, tantopere Deo placere, tantumqúe ſapientiæ munus promereri potuiſſet, niſi

Solutio triplex.

esset ex libera voluntate profecta. Hæc difficultas tribus modis posset discuti, ac dissolui. Nam primò quidem responderi posset, illam Salomonis in somno petitionem, placuisse Deo, non per se, sed propter antegressam eiusdem in vigilia similem quandam petitionem, ex qua scilicet illa in somno extitit. Salomon enim ardentissimè expetierat, & à Deo postulauerat donum sapientiæ, ac prudentiæ: hanc eius petitionem, Deus illo somnio declarauit fuisse sibi gratissimam, & optatum habituram effectum. Sed hæc fortasse cuipiam videbitur nonnihil dura, & cõtorta responsio. Quocirca subijciam alterum responsum: posset enim dici, à principio fuisse illud quidem somnium, sed postea Deo mirabiliter operante, conuersum esse in ecstasim seu raptum, qualis nempè diuo Paulo, & Prophetis sæpè contigit: in quo animus Salomonis, licet à corporis, & rerum externarum sensu abstractus, & similis dormientium esset, per Dei tamen potentiam factum est, vt solutus, & liber tunc fuerit ad exercendas actiones tum rationis, tum liberi arbitrij, ita vt liberè peteret à Deo Salomõ quod vellet, & petendo, quæ grata erant Deo, ea quoque mereretur ab ipso consequi. Sed non placet hoc responsum. Mitto nunc examinare, an in raptu & ecstasi, perfectº liberi arbitrij vsus esse queat: tantum dico, huic responso minimè suffragari diuinam scripturam, quippe, suprà dicto loco narratura visionem illam Salomonis, præfatur, Deum apparuisse Salomoni per somnium, & narrata iam visione, subiungit. *Igitur euigi-*

euigilauit Salomon, & intellexit, quòd esset somnium. quo perspicuè significatur, illam visionem nullatenus fuisse raptum, vel ecstasim, sed totam fuisse somnium, diuinum tamen somnium, scilicet à Deo ad erudiendum docendumq; Salomonem datum. Atque duas hasce solutiones propositæ quæstionis tradit D. Thomas in 1. 2. quæst. 113. art. 3. ad 2.

ERIT igitur, nisi fallor, similius & propius vero tertium responsum, quod etiam Tostado super 3. cap. lib. 3. Regum, in quæst. 12. maximè probatum est. Dicimus, cùm Salomon tunc verisimè dormierit, & illa eius visio fuerit somnium, quemadmodum scriptura testatur, hinc necessariò effici, quicquid ibi factum esse dicitur, non reuera, sed per imaginariam tantum dormientis visionem esse factum. Videbatur igitur tunc sibi Salomon petere sapientiam à Deo, videbatur etiam ei Deus petitionem ipsius approbare, cum reuera tamen nulla fuerit tunc petitio, nullum meritum Salomonis, nullum item responsum, nullumq; Dei promissum. Cur igitur, inquies, somnium illud à Deo datum est Salomoni? Videlicet, nisi mea errat cõiectura, tres ob causas. Primò, vt intelligeretur omnium bonorum auctorem, & largitorem esse Deum, & ab eo esse omnia bona expetenda & postulanda. Deinde, vt manifestum fieret, quæ bonorum electio, & petitio, grata esset, & accepta Deo: ea nimirũ, qua spiritualia bona corporalibus, cœlestia terrenis, denique ad communem aliorum vtilitatem & salutem pertinentia, inanibus & infructuosis præoptantur, atque præferuntur.

Cur somnium illud datum fuerit Salomoni.

Ad extremũ, vt exemplo Salomonis appareret & extaret, quanta ſit Dei benignitas & munificentia erga ſeruos ſuos, quorum optata & poſtulata non ſolùm impleat, ſed etiam longè ſuperet, & abundanter excedat. Ecce Salomon ſolam à Deo ſapientiam poſtulauerat, præ hac cęteris bonis, quæ hominibus pretioſiſsima, & cariſsima ſunt, contemptis: cui tamen Deus, & ſapientiam ſupra ipſius votum, & reliqua bona, præter votum ipſius, largiſsimè donauit. Verùm hæc noſtra de ſomnijs diſputatio, hunc habeat terminum: vereor enim ne ſi longius producta ſit, moleſta & odioſa lectori eſſe incipiat. Quemadmodum enim ſomnus, quoad quietus & placidus eſt, mẽbra dulciſsimè refouet ac recreat, viresq; reficit, ac redintegrat, ſi tamen in eo nimis longa nimisq; ſeria, & grauia contingant ſomnia, corpus pariter atque animum languefacit, & debilitat: ſic omninò cauendum nobis fuit, ne noſtra hęc de ſomnijs diſputatio, præter modum longa, gratiam perderet legentium, & quam ex ipſa fortaſſe voluptatem cœperant, in faſtidium odiumq; conuerteret.

BENE-

BENEDICTI PERERII, LIBER TERTIVS, qui eſt *DE DIVINATIONE ASTROLOGICA.*

TANTA eſt Aſtrologorum (qui vulgo Iudiciarij appellantur) vel impudentia, vel amentia, vt etiam ſibi diuinam ſcripturam ſuffragari, ſuæq; Aſtromantiæ fidem & auctoritatem firmare iactent. Etenim verba illa quæ dixit DEVS creans luminaria cœli; *Et ſint in ſigna & tempora, &c.* ad ſuam referunt diuinationem aſtrologicam, per quam ipſi profitentur ex obſeruatione ſiderum futura rerum euenta poſſe prædici. Quocirca B. Baſilius & Ambroſius alijq; permulti Patres in explanatione eorum verborum, benè longam & accuratam in refellendis iſtiuſmodi Aſtrologorū prædictionibus orationem poſuerūt. Quorum nos Patrum exemplis prouocati, & grauiſsimis DEI ſententijs contra Aſtrologos multifariam in diuina ſcriptura proditis permoti, quin etiam iuſtiſsimo aduerſus Aſtrologos odio, propter fraudulenta *Geneſ.* 1.

dulenta & pernicioſa eorum figmenta, incenſi, librum hunc ad confutandas eorum prædictiones à nobis ſcriptum, gratum multis atque vtilem fore exiſtimauimus. Scripſit aduerſus Aſtrologos copiosè quidem & eruditè Ioan. Picus Mirandulanus; ſed multos ab eius lectione deterret prolixitas operis. Nos, licet in prædiuiti atque vberi verſemur argumento; eo tamẽ breues erimus, quod non omnia quę diſputari poſſent, ſed aptiora duntaxat cauſæ firmioraq; tractabimus. Quinque autem erunt huius libri & diſputationis aduerſus Aſtrologos capita: Primò enim docebimus, ſacræ & Eccleſiaſticæ doctrinæ diuinationem Aſtrologicam eſſe contrariam: Tum oſtendemus, Aſtrologos eſſe rerum cœleſtium imperitos: Deinde, diuinatricem iſtam artem rectæ rationi ac philoſophiæ aduerſari demonſtrabimus: Adhæc, probabimus, aſtra non ſolum non eſſe cauſas efficiẽtes rerum futurarum, verùm nec eſſe certa ſigna quæ res futuras prænotent ac præmonſtrent: Ad extremum, cur nonnulla Aſtrologorum prædicta ſint vera, cauſas exponemus.

INDEX DISPVTATIONVM QVAE SINGVLIS IN PRAEDICTIS capitibus explicantur.

CAPVT PRIMVM.

1. *Sententijs diuinæ ſcripturæ; antiquis item Eccleſiæ inſtitutis & exemplis; rationibus etiam theologicis refelluntur Aſtrologi.*

2. *De vanitate oraculorum Apollinis.*

3. *Cur Dæmones prædicendo futura sæpè fallant.*
4. *Non posse veritatem Christianæ religionis cohærere cum veritate Astrologiæ iudiciariæ.*
5. *Quàm seuerè olim Ecclesia in istiusmodi Astrologos animaduerterit.*
6. *De multis perspicuè falsis & impijs Astrologorum sententijs.*

CAPVT II.

7. *Astrologos iudiciarios esse rerum cælestium imperitos.*
8. *Aduersus fictitiam antiquitatem obseruationum quam iactant Astrologi.*
9. *De noua stella quæ superioribus annis visa est.*
10. *Quàm sit difficilè aspectum siderum in ortu cuiusq; hominis exactè annotare.*

CAPVT III.

11. *Probatur octo rationibus, non posse Astrologos ex arte & scientia sua prænosse ac prædicere futura contingentia.*
12. *Præter causas cælestes, necessariam esse notitiã causarum particularium ad prænoscendos earum effectus.*
13. *De simili ortu & dissimilibus euentis Geminorum.*
14. *Pulcherrima disputatio Bardesanis aduersus Astrologos.*
15. *Vtrum sit facilius, diuinare quid facturus sit vir bonus, an vir improbus.*
16. *Quàm sit vana ac futilis prædictio Astrologorum de aliquo, quod sit futurus summus Pontifex.*
17. *Nullam posse esse scientiam vel artem istius Astrologiæ.*
18. *Vanitas & falsitas multarum prædictionum astrologicarum.*

19. *Errores Aſtrologorum in Chronologia.*
20. *Aſtrologiam iudiciariam omni tempore à prudentibus & ſapientibus viris eſſe contemptam & damnatam.*
21. *Cui generi hominum arrideant prædictiones Aſtrologicæ, quas S. Ambroſius comparat telis aranearum.*
22. *Diſputatur contra tria fundamenta Aſtrologiæ iudiciariæ.*
23. *Vtrum aſtra natalitia cuiuſque, poſſint eſſe certa cauſa omnium quæ ei euentura ſunt.*
24. *Vtrum ſit plus momenti in conceptu, an in ortu hominis ad diuinandum.*
25. *De vanitate Aſtrologorum diuinationem ſuam extendentium etiam ad ciuitates, non ſolùm ad homines.*
26. *Cur Aſtrologi non, vt de hominibus, ſic etiam de ſtirpibus & alijs animantibus ex obſeruatione aſtrorum vaticinentur.*
27. *De antiquitate iſtius Aſtrologiæ apud Aegyptios & Chaldæos.*

CAPVT IV.

28. *Vtrum aſtra, ſi non ſunt cauſa, ſaltem ſint certa ſigna omnium futurorum.*
29. *Vtrum ſecundùm Auguſtinum aſtra ſint ſigna omnium rerum humanarum.*
30. *De natura & varietate ſignorum.*
31. *An cometæ ſigna ſint humanarum rerum.*
32. *An qui aſtra faciunt ſigna rerum futurarum, ſimul etiam neceſſariò inducant & aſtruant Fatum.*

CAPVT V.

33. *De quatuor cauſis propter quas euenit vt nonnunquam Aſtrologi vera prædicant.*
34. *Inſtinctu Dæmonum agi nonnunquam homines ad diuinandum.*

35. *Quot*

35. *Quot modis Damon futura prænoſcat, & hominibus præmonſtrare ſoleat.*
36. *Quot modis & quàm grauiter peccent, qui Damonum vel iſtorum Aſtrologorum opera vtuntur ad diuinandum.*
37. *Iſtiuſmodi Aſtrologos ferè improbos & flagitioſos eſſe.*
38. *De vſu ſortium apud Antiquos ad diuinandum futura.*
39. *Permiſſu DEI, nimis cupidos ſciendi futura, laqueis Damonum irretiri, & variis ac pernicioſis erroribus implicari.*
40. *Multos diuinare futura; magis ex prudentia & vſu rerum humanarum, quàm ex arte aſtrologica.*
41. *Nimiam credulitatem ac leuitatem conſulentium Aſtrologos, interdum conducere vt eorum prædicta vera cadant.*

DIVINATIONEM ASTROLOGICAM diuinæ Scripturæ, diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ac doctrinæ Theologicæ eſſe contrariam.

CAPVT PRIMVM.

§. 1. *Sententijs diuinæ Scripturæ; antiquis item Eccleſiæ inſtitutis & exemplis; rationibus etiam theologicis refelluntur Aſtrologi.*

CLAMAT multis in locis diuina Scriptura certam futurarum rerum præſcientiam & prædictionem, non eſſe hominum ſed ne dæmonum quidem, verùm vnius

vnius Dei propriam. Quapropter apud Isaiam cap. 41. ita scriptum est, *Annunciate quæ ventura sunt in futurũ, & sciemus quia dij estis vos:* & ca. 44. *Ego sum Dominus irrita faciens signa diuinorum, & hariolos in furorem vertens, conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens:* cap. autem 47. deridens Deus Babylonios & Chaldæos syderalibus suis obseruationibus præfidẽtes, *Sta*, inquit, *cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorũ, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si fortè quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorũ tuorũ: stent & saluent te Augures cœli, qui contemplabãtur sydera, & supputabãt menses, vt ex eis annuntiarent ventura tibi.* Et paulò ante dixerat: *Sapiẽtia tua & scientia tua, hæc decepit te.* Hieremias quoq; c. 10. monet Iudæos vt Astrologicas obseruationes pro nihilo ducant, nihil enim sibi à stellis vel sperandum vel timendum esse. sic autem ait: *Iuxta vias gentium nolite discere; & à signis cœli nolite metuere quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ sunt.* Salomon autem Ecclesiast. cap. 10. scientiam futurarũ rerum denegat homini, *Ignorat homo*, ait ipse, *quid ante se fuerit: & quid post se futurum sit quis poterit indicare?* idem cap. 8. eiusdem lib. *Homo*, inquit, *ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuncio.* Liquet igitur diuinationem astrologicam in sacris literis contemni, derideri, ac reprobari.

Cum

Cum doctrina ſacrarum literarum, etiam iudicium Eccleſię, vt par erat, mire congruit. Semper enim Eccleſia inde vſque à primordijs ſuis, Iudiciarios Aſtrologos odit, fugit, damnauit. Extant aduerſus ipſos plurima & ſeueriſsima decreta Eccleſiæ, quæ legere licet in ſecunda parte Decretorum cap. 26. per primas quinque quæſtiones, & in Concilio Bracarenſi I. cap. 9. & 10. & in Toletano I. in aſſertione Fidei contra Priſcillianiſtas. Fertur Alexander Papa huius nominis III. quendam presbyterũ qui ſemel duntaxat conſuluerat Aſtrologum de quodam furto in Eccleſia ſua facto, in vnum annum priuaſſe altaris miniſterio. Crebras item reperimus in ſcriptis ſanctorum Patrum aduerſus Aſtrologos, quos illi nunc Chaldæos vel Genethliacos, aliâs Mathematicos aut Planetarios appellant, diſputationes, ex quibus apparet quàm fuerit maioribus noſtris genus hoc hominum exoſum & abominatum. Multa contra illos diſputat Baſilius hom. 6. in Geneſim, Chryſoſtomus & Gregorius Magnus in cap. 2. Matth. ſed præter cæteros Auguſtinus lib. 2. ſuper Geneſim ad literam cap. 17. lib. etiam 2. de doctrina Chriſtiana cap. 21. & aliquot proximè ſequentibus capitibus, ſubtiliter tamen & copioſè primis aliquot capitibus lib. 5. de ciuitate Dei. Eodem pertinet quæ contra Mathematicos in lib. 14. cap. 4. & in lib. 6. cap. 9. de Præparatione Euangelica argumentatur Euſebius.

Decreta Eccleſiæ cõtra Aſtrologos Iudiciarios.

Alexander Papa.

Baſilius. Chryſoſt. Gregor. homil. 10. ſuper Euang. Auguſtin. Euſeb. Caſ.

Ridiculus fuit, vel potius amens Iulianus Apoſtata, qui in libris quos aduerſus Chriſtianos effutiuit, probare voluit, ex his quæ ſcripta ſunt in

Iuliani Apoſtatæ calumnia.

in cap. 15. Geneſ. Abraamum & Aſtrologiam & aruſpicinam coluiſſe. Aſtrologiam quidem eius, ſignificari putat illis verbis: *Eduxit Deus Abraam foras, & ait illi, Suſpice cœlum & numera ſtellas ſi potes: Sic erit ſemen tuum.* Aruſpicinæ verò ſcientiã eius, illis etiam verbis denotari ait, *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens vniuerſa hæc, diuiſit ea per medium, & vtraſq; partes contra ſe altrinſecus poſuit: aues autem non diuiſit. Deſcenderuntq; volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraã.* Deinde, ſubijcitur prædictio peregrinationis & ſeruitutis poſterorum eius per quadringentos annos. Sed hunc Iuliani errorem vel potius furorem, egregiè confutat Cyrillus extremo lib. 10. eius operis quod aduerſus Iulianum edidit. Alij fidem huic vaniſsimæ aſtrologiæ aſſerere & aſtruere conantur ex illa ſtella quæ nato Chriſto apparuit, cuius aſpectu excitati tres illi Magi, ductuq; ad adorandum Chriſtum venerant. Sed iſtos manifeſtis argumentis Chryſoſtomus & Gregorius in homilijs ſuper illud Euangelium ſcriptis, redarguunt & conuincunt.

Iuliani Apoſtatæ calumnia à Cyrillo repulſa.

Matth. 2. Chryſ. hom. 6. in Matth. Greg. hom. 10. in Euãg.

Cæterùm, errorem Aſtrologorum etiam rationibus ex doctrina Theologica contextis refutare poſſumus. Principiò, *Nemo*, vt ait Paulus 1. Corinth. 2. *nouit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis*; ſed homo neſcit quid ipſemet poſt multos annos aut etiam dies acturus ſit: nam vt inquit Scriptura, Prouerb. cap. 27. *Ne gloricris in craſti-*

Argumentis ex ſacra Theologia ductis, aſtrologica diuinatio refellitur.

crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies: &, *Non est via hominis in manu eius: homo enim proponit, Deus autem disponit.* Est namque non modò quorumlibet hominum, sed etiam Regum cor in manu Dei, & flectit illud quocumque vult. Si igitur ipsemet homo nescit quid futuro tempore facturus sit, quanto minus id scire potest Astrologus? Deinde, ne ipse quidem diabolus certò potest nosse res futuras: si enim futura omnia dæmon sciret, nunquam profecto impulisset Iudæos ad crucifigendum & occidendum Christum Dominum, quippe præuidisset per crucem & mortem Christi, imperium quod tamdiu habuerat in homines, fore labefactandum & funditus euertendum. nec sanè dæmon tentaret & infestaret seruos Dei à quibus in tentatione vincitur, ne videlicet propter victoriam tentationum crescente Sanctorum gloria, magis ipse, quæ eius est superbia & inuidia, torqueretur.

§. 2. *De vanitate oraculorum Apollinis.*

Hoc etiam patet argumento oraculorum, quæ olim reddebant dæmones, cuiusmodi erãt responsa & oracula Apollinis delphici quõdam apud Græcos nobilissima & clarissima; quæ ad diuinationem astrologicã pertinuisse, locuples auctor & testis est Porphyrius in libro de Oraculis (refert autem hoc Eusebius lib. 6. de Præparatione Euãgelica, cap. 1.) vbi tradit, quæcunque dij ceu fatis definita prædicunt, ea ipsos stellarum motu ita esse futura significare; id quod maxime Apollo multis respõsis aperuit. In hisce autẽ oraculis & diuinationibus sæpè mentitum

Porphyrius.

esse Apollinem, idem auctor est Porphyrius; exquisitam enim futurorum cognitionem ait non hominibus modo, sed multis etiam deorum incomprehensibilem esse. vnde interrogati mentiuntur nonnunquam, sed non sponte: solent enim præmonere, se tunc vera respondere non posse, homines tamen ex amentia perseuerant vrgere & cogere eos vt respondeant. Apollo igitur delphicus, cum eiusmodi esset cœli & continentis affectio vt verum præuidere non posset, retine, dicebat per Vatem, vim istam, & potentia verba hæc ne proferas; falsa enim dicam, si coges. Et in alio responso, Nihil hodie, inquit Apollo, stellarum mihi via dicendum præstat. Deinde, cõcludens Porphyrius ait, Manifestum iam fecimus vnde falsitas ad deorum oracula subrepat. Hæc ex libro Porphyrij de Oraculis, in libro sexto de Præparatione Euangelica, cap. 4. Eusebius commemorat. Fuit etiam olim quidam Oenomaus, vir apud Græcos tam philosophia quam eloquentia nobilis, qui responsis delphici Apollinis sæpè delusus atque deceptus, diligenter & curiosè collegit quamplurima eius oracula, eaque vt vana, futilia & falsa cõfutauit, vt refert Eusebius lib. 5. de Præparatione Euangelica, cap. 10.

Oenomaus vehemens & disertus oraculorũ Apollinis confutator.

§. 3. *Cur dæmones prædicendo futura sæpè fallant.*

QVATVOR porrò ob causas vsuvènit in prænuntiando futura falli dæmonem. Primò, quia nimis asseueranter affirmat quæ pendent ex libero arbitrio hominis, quod cum sit admodum

dum mutabile & ad omnia flexibile & planè liberum, nonnunquam extraordinaria quadam ratione operatur. Deinde, quod nos sæpè diuinitus incitati & adiuti Dei gratia, contra facimus quàm antea facere cogitabamus, & quàm nostro ingenio nostroq; arbitratu facturi eramus. Fit etiam interdum, vt quod dæmon agere constituerat & prædixerat, prohibente impedienteqúe Deo, non possit exequi. Denique, multa Deus solet aliquando præter communem ordinem naturæ, præterq; generalem suam & ordinariam prouidentiam agere. Atque his rebus crebro dæmon in errorem inducitur. Quis ergo credet, Astrologos prædicendis futuris rebus veraces esse, cum in eo vel dæmones falli sæpè contingat? Sed quid ego de dæmonibus loquor? Theologi docent, ne ipsos quidem spiritus cœlestes ac beatas mentes quæ liquidò cernunt & clarissimè vident Deum, tenentq; perfectissimã cognitionem cœlorum cunctarumque rerum naturalium, certò scire futura quæ nimirũ pendent ex libero arbitrio; nisi earum rerum Deus singularem ipsis notitiam impertiat. Cuius autem amentiæ est, Astrologis tribuere quod nec Angelis nec beatis mentibus concessum est?

§. 4. *Non posse veritatem Christianæ religionis cohærere cum veritate astrologiæ Iudiciariæ.*

Egregia ratio aduersus Astromantiam.

Sed illa in primis fortis est argumentatio. Si Christiana religio & disciplina vera est, vt est profectò verissima, non potest esse vera, nec Christianis probari potest illa opinio Astrolo-

gorum, vt quam illa vanitatis, falsitatis & impietatis persæpè damnauit: sin autem falsa est doctrina Christiana, cum ipsa totum ferè orbem complexa sit, omnesq; propemodum gẽtes suo imperio subiecerit, & plus mille quingentos annos vigeat & regnet in mundo, si omnia quæ apud homines fiunt ex cœlo proueniunt ac pendent, necesse est tantam hominum ad fidẽ Christi accipiendam tuendamq; propensionem tantumq; studium, ex insigni aliqua & præpotenti constellatione prouenire: quare cœlum inclinaret & induceret homines ad malum. Si enim fides Christi esset falsa, magis profectò esset falsa & detestabilis quàm alia quęlibet secta: ea namque docet de Deo & rebus diuinis, quæ si falsa sunt, nefariam sanè superstitionem & execrandam impietatem contineant necesse est. At verò, cum vita quæ ad normam fidei Christianæ agitur, sit optima & inculpata, nec laude tãtùm sed summa etiam admiratione dignissima, hinc necessariò efficeretur, ab eadem cõstellatione proficisci bonum & malum: malum quidem, propter falsitatem doctrinæ Christianæ; bonum autem, propter vitæ quæ ad eius doctrinæ regulam informatur & dirigitur, probitatem atque præstantiam.

Praclara argumentatio.

Ad hæc, maxima probatio & confirmatio fidei nostræ & clarissimum diuinæ prouidentiæ argumentum illud est, quæcumque circa Christum Dominum & eius Ecclesiam euenerunt, ea multis ante sæculis fuisse per Prophetas, ad vnũ omnia propriè, distinctè, explicateq; prædicta: si autem eiusmodi prædictio per Astrologiam fieri

fieri posset, rueret funditus & ad nihilum recideret firmissimum nostræ religionis fundamẽtum. Ne multa, istiusmodi Astrologorum doctrina veram Philosophiam moralem, nedum sacram Scripturam & Theologiam, quantum in ipsa est, planè peruertit. qui enim certum habet omnia pendere è cœlo, ob idq; cuncta hominum opera facta, casus & euenta ex cœli obseruatione præsentiri & prędici posse, huic quoque necessariò persuasum esse debet, materialem & mortalem esse animum nostrũ, nullumq; esse liberum arbitrium, nec talem esse prouidẽtiam Dei qualem Fides nostra prædicat; mysteria item Christianæ religionis pendere è cœlo, cunctaqúe miracula tam in veteri quàm in nouo Testamento edita, licet dicantur, vt re vera sunt, supernaturalia, ad cœlestes nihilominus causas & virtutes reuocari. Huic quoque opinationi consequens est, neglectio & prætermissio bonorum operum, licentia omnium cupiditatum, quorumlibet flagitiorum excusatio, denique inutilitas atque crudelitas humanarum pariter atque diuinarum legum. Caietanus in Summula vbi agit de astrorum obseruatione, simillima docens eorum quæ diximus, verè magis & doctè quàm eleganter & ornate ita scribit, Astrorũ obseruatio circa natiuitates hominum & occurrentia humana, tripliciter peccato subijci potest. Primo, si ea quæ fidei Christianę mysteria sunt, tanquam subsint cœlestibus causis, habeantur: secundo, si futura cõtingentia quęrantur vel habeãtur vt certa ex cœlestibus causis: tertio, si electiones suas quis subijciat cœlestibus

Caietani breuis, sed vera et memorabilis aduersus prædictiones astrologorum sententia.

ſtibus cauſis tanquam legi illarum, ita vt vitam & actiones ſuas regulet ſecundum cœlos. Et quodlibet horum trium eſt ex ſuo genere peccatum mortale: quia primum eſt contra ſpiritualitatem Chriſtianæ religionis, quæ ſuper cœlos eſt, immutare potens etiam ipſos cœlorum curſus iuxta id quod ſcriptum eſt in Pſal. 148. Confeſsio eius ſuper cœlum & terram: & hoc experientia teſtata eſt. Secundum verò, eſt contrà veritatem doctrinæ Chriſtianæ & liberi arbitrij, quo domini ſumus noſtrorum operum. Tertium eſt contra dignitatem gratiæ, legis diuinæ, ac humanæ mentis qua ſuper omnia corporalia ſumus cõſtituti. Et ſicut erraremus ſubijciendo nos paſsionibus iræ, odij, ſpei, timoris; ita quod haberemus impetus paſsionum pro lege: ita vilificamus nos, ſi inclinationes cœlorum pro lege habeamus: corpora enim ſunt, & per modum paſsionum inclinant nos. Hæc Caietanus.

In Actis autem Apoſtolorum cap. 19. refert Lucas, multos de his qui Epheſi concionibus & ſermonibus B. Pauli conuerſi erant ad Chriſtum, & curioſa prius fuerant ſectati, attũliſſe libros ſuos, & coram omnibus combuſsiſſe: fuiſſe autem eos libros de rebus ad iudiciariam Aſtrologiam pertinẽtibus, grauis auctor in Commentarijs ſuper Pſalmos dixit Auguſtinus; qui etiam Mathematicum quendam, hoc eſt, iſtam Aſtrologiam profeſſum, poſtea pœnitẽtem profeſsionis ſuæ, cũpientemq; reconciliari Eccleſiæ, niſi publica & ſolenni pœnitentia præmiſſa, non recepit. verùm ſententiam Auguſtini, quod ea maxi-

maximè attingit id quod nunc agitur, totidem verbis hic aſcribam. Poſt enarrationem igitur 61. Pſalmi, cum Mathematicus ille veniam publice petens coram ſiſteretur, hæc dixit Auguſtinus: Iſte ex Chriſtiano & fideli pœnitens redit, & territus poteſtate Domini conuertitur ad miſericordiam Domini: ſeductus enim ab inimico cum eſſet fidelis diu Mathematicus fuit, ſeductus ſeducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus eſt contra Deum qui dedit hominibus poteſtatem faciendi quod bonum eſt, & non faciendi quod malum eſt. Iſte dicebat quod adulterium non faciebat voluntas propria, ſed Venus; & homicidium non faciebat voluntas propria, ſed Mars: & iuſtũ non faciebat Deus, ſed Iupiter: & alia multa ſacrilega non parua. Quàm multis eum putatis Chriſtianis nummos abſtuliſſe? Quàm multi ab illo emerunt mendacium? quibus dicebamus, Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Modo ſicut de illo credendum eſt, horruit mẽdacium & multorum hominum interitum: ſe aliquando à diabolo ſenſit illectum, conuertitur ad Deum pœnitens. Noſtis in Actibus Apoſtolorum eſſe ſcriptum, cap. 19. quia multi perditi, id eſt, talium artium homines & doctrinarum nefariarum ſectatores, omnes codices ſuos ad Apoſtolos attulerũt, & incenſi ſunt libri tam multi, vt pertineret ad ſcriptorem æſtimationẽ eorum facere, & ſummam pretij conſcribere. Hoc vtique propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi deſperarentur ab illo qui nouit quærere

Notabilis oratio quã habuit Auguſtinus in reconciliatione cuiuſdã Mathematici cum Eccleſia.

Pſal. 4.

quod perierat: Perierat ergo iſte, nunc quæſitus, inuentus, adductus eſt: portat ſecum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, vt illis in ignem miſsis, ipſe in refrigerium tranſiret. Ante Paſcha enim cœpit petere de Eccleſia Chriſti medicinam, ſed quia talis eſt ars in qua exercitatus erat, quæ ſuſpecta eſſet de mendacio atque fallacia, dilatus eſt ne tentaret, & aliquando tamen admiſſus eſt ne periculoſius tentaretur. Hactenus Auguſtinus.

§. 5. *Quàm ſeuerè olim Eccleſia in iſtiuſmodi Aſtrologos animaduerterit.*

B. Epiphanius.

CERTE in primitiua Eccleſia iſtiuſmodi aſtrologia nõ ſecus quàm ars magica, reprobata, vetita & damnata erat. Narrat Epiphanius in libro de Menſuris & ponderibus, Aquilam Ponticum Scripturæ interpretem ob eam maximè cauſam fuiſſe à Patrib⁹ ex Eccleſia pulſum, quod natiuitatum obſeruationibus cęterisq; diuinationibus aſtrologicis ſtudioſe vacaret. Non eſt pro derelicto habẽdum, cum ſit admodum memorabile, quod Origenem in Commentarijs ſuper Geneſim de iſta aſtrologia prodidiſſe, libro 6. de Præparatione Euangelica, capite 9. tradit Euſebius. ſic enim ſcripſiſſe illum ait: Non ſolum Gentiles ſtellarum coniunctione atque aſpectu quæ in terris ſunt, neceſſariò accidere credunt, quam vim Fatum appellant, verumetiam multi ex fidelibus conturbantur, impoſsibile aliter fieri credentes quàm ſtellarum curſus effecerit. vnde ſequitur nullam in nobis eſſe libertatem, nullam operationem noſtram laudari aut

Origenis egregia contra Aſtrologos diſputatio.

ri aut vituperari iure posse; ita prædictum à Scripturis Dei iudicium quo alij ad æterna supplicia, alij ad æternam beatitudinem prædestinantur, falso fore prædicaretur. Quid plura? ipsa quoque fides & Saluatoris nostri aduentus, & omnis Prophetarum labor, ac Apostolorum in constituendis Ecclesijs prædicatio, inania erunt: nisi forte Christum quoque quis audeat dicere, cœlestium corporum vi coactum fecisse quæ fecit, passumq; fuisse quæ passus est, nec eius deitatis potentia sed stellarum virtute cuncta euenisse. his impijs verbis etiam illud conficitur, vt fideles Fato ducti in Christum credant: denique, vt vel nullum sit boni & mali discrimen, vel etiam malorum auctor sit Deus: nullusq; hominum propter bene vel male facta præmio aut pœna dignus censeri debeat, nec orationibus, votis, & Dei obsecrationibus locus aliquis relinquatur. Sic Origenes.

Animaduersio in Petrum de Aliaco.

Eat igitur nunc Petrus de Aliaco, & istam Astrologiam amplexetur, exosculetur, præfracteque defendat, atque obnixe conetur eam cum philosophia, quin etiã (si Deo placet) cum Theologia consociare atque coniugare; scilicet falsitatem cum veritate, tenebras cum luce, dæmonem cum Deo. qui nec veritus est scripto prodere, diluuium Noëticum, & ortum Christi Domini, aliaq; summa prodigia & miracula, etiam syderalis scientiæ peritia ex astrorum obseruatione prænosci ac prædici potuisse.

§. 6. *De multis perſpicuè falſis & impijs Aſtrologorum ſententijs.*

SED quo manifeſtius appareat quàm ſit impia & execranda iſtorum doctrina, ponam hic paucas quaſdam eorum ſententias & decreta, è quibus iudicium fiet de illius artis impietate. Quidam iſtorum, ex Marte in nona cœli regione feliciter conſtituto, tantum præſtari nobis contendunt, vt ab obſeſsis corporibus ſola præſentia dæmones expellamus. Alij iactant ſe hac arte, de eius qui naſcitur conſcientiæ arcanis & ſecretis ſine errore iudicaturos. Vulgatum quoque apud illos eſt, duos eſſe planetas auctores felicitatis humanæ, Venerem quidem præſentis, Iouem autem poſt hanc vitã futuræ. *Maternus.* Maternus porrò eiuſmodi figmentorũ & mendaciorũ ſtudioſiſsimus & curioſiſsimus, cum multa memoret quę à Saturno cõſtituto in Leone accidũt hominibus, ſubdit, eiuſmodi homines longęuos fore, & poſt mortem animas eorum in cœlum dijs applicatas euolaturas. Saturnus enim, inquit, in Leone poſitus, animas eorum qui ſic ſe habuerint in terra, iñumeris anguſtijs liberatas, ad cœlum & originis ſuæ primordia reducet. *Albumazar.* Denique Albumazar ſcribit, qui Luna Ioui cõiuncta in capite Draconis, Deo ſupplicauerit, eum quicquid petierit à Deo, certiſsimè impetraturum: id quod *Petrus Apponenſis.* Petrus Apponenſis expertum ſe eſſe confirmat. nam cum vigente illa cõiunctione, ſcientiam rerum à Deo poſtulaſſet, ait ſe poſt eam diem, magnam ſibi factam eſſe ſcientię acceſsionem, ſenſiſſe. Hæc autem & alia

eorum

eorum similia, quàm sint nefaria, detestanda, & Christianæ religioni exitialia; quantumq; valeant ad eleuandam, vel potius delendam fidem eorum quæ diuina Scriptura docet immediatè, supernaturaliter, ac miraculosè fieri à Deo, nemo est tam hebes ingenio & tardus intelligentia, vt non clarissime intelligat. Si quis autem hęc plenius atque subtilius scire auet, legat quæ in hanc sententiam cum alibi, tum lib. 2. cap. 5. & in lib. 5. cap. 11. & inde vsque ad finem eius libri, Picus Mirandulanus diligenter & copiosè tractat.

ASTROLOGIAM IVDICIARIAM A Philosophia redargui & conuinci, primò quidem ea ratione, quod istiusmodi Astrologi cœlestium rerum sint imperitissimi.

CAPVT II.

Multiplex & praua-lida contra Astrologos ex Philosophia argumentatio.

DIVINATIONEM Astrologicam futilem esse nulloq; nixam fundamento, Philosophus quidem ad hunc modum argumentabitur, Astrologi nec certò sciunt omnes astrorum vires, defluxus, & effectus; nec si eas res scirent, satis id foret ad certam rerum futurarum præsensionem; ergo prædictiones astrologicas inanes & fallaces esse necesse est. Duo in hac argumentatione sunt posita, explicatius à nobis tractanda & confirmanda; alterum est, imperitos esse Astrologos rerũ cœlestium; alterũ verò est, vt essent illi peritissimi earum rerũ, non propterea tamẽ posse eos futura omnia prænosse. de priori autem dicamus prius.

§. 7. *Astro-*

§. 7. *Astrologos Iudiciarios esse rerum cœlestium imperitos.*

ESSE igitur Iudiciarios Astrologos syderalis doctrinæ ignaros, patet ex his quæ subijciam. Principiò, valde arduum & operosum est, etiam quæ de cœlo videntur minus difficilia magisq; nobis obuia, perfectè cognoscere: veluti quæ sit cœli natura, magnitudo, numerus orbium, & inter eos ordo & differentia dignitatis, varietas motuum, denique astrorum numerus, eorumque inter se in magnitudine, luce, potestate & effectu comparatio. atque huius difficultatis facit clarissimum indicium tanta opinionum varietas, quantam esse his de rebus inter maximos Philosophos cernimus. Aristoteles certè, Philosophorum omnium facilè princeps, ingenuè fatetur se multarum rerum cœlestium non exquisitam scientiam, sed opinabilem & coniecturalem tantùm notitiam tenere: Et quia manifestis certisq; rationibus destituatur, cogi se non raro probabilibus duntaxat argumentis & coniecturis vti. Videre hæc licet apud ipsum Aristotelem in secundo libro de Cœlo textu 17. 34. 60. & 61. hoc si est, quis credet, Astrologis, quos solis luce clarius est nulla re comparandos esse maximis illis philosophis, quod est in cœlo abstrusissimum, & iudicio summorum Philosophorum mortalibus incomprehensibile, veritatem dico rerum omnium futurarum, esse liquidò cognitam exploratèq; perceptam? Deinde, rogemus istos Astrologos vt faciliores quasdam quæstiones de cœlo nobis enodent: per-

Aristoteles.

cuncte-

cunctemur ex ipsis, an cœlum sit natura quædam simplex, an composita ex materia & forma; vtrum talis sit materia cœli qualis est rerum omnium sublunarium, an omninò diuersa; sitné cœlum animatum an inanimum; num sua vi & à se moueatur, an extrinsecus ab Angelo; vnde potissimum in cœlis æstimari & iudicari debeat dignitatis eorum præstantia; quid causæ sit cur non omnes orbes vno motu circumagantur, sed alij vno tantùm, alij pluribus, alij verò paucioribus: aperiant nobis quam habeãt propriam vim & potentiam singulæ stellæ in elementa, metalla, stirpes, atque animantes. hæc, inquam, & alia horum similia scisciteremur ex istis Astrologis, profecto reperiemus ipsos doctrinæ harum rerum planè rudes & prorsus expertes. Quî fit igitur credibile, planiora hæc & apertiora ignorantibus, mortalium intelligentię remotissima & occultissima, esse comperta & explorata? Postea, doceãt nos isti defluxus & effectus qui nunc ex varijs astris dimanant ad diuersas & disitas mundi regiones, sic enim fortasse credemus illis futuros syderum effectus prænutiantibus. quis enim nescit procliuius & propensius esse præsentia nosse quàm futura, præsertim mutabilia & quæ variè possunt contingere, ob idq; incerta? Exponant item nobis occultas proprietates & vires quas habent res sublunares, quas miramur magis quàm intelligimus in multis lapidibus, herbis & animalibus; hæc enim cum proxima sint atque nobis coniuncta & cunctis penè sensibus nostris subiecta, & quæ quotidianis experimentis perueſtigari & explorari

explorari poſſunt; planiorem intelligentiam & faciliorem habent explicatum: cognitio verò rerum cœleſtium maximi laboris & difficultatis eſt, cum tam longè diſtet à nobis cœlum, nec alio quàm vnico oculorum ſenſu mortalibus pateat: quem tamen ſæpè falli cõtingit propter tantam interualli longinquitatem, vel ſummam vertiginis cœli velocitatem, vel prauam affectionem medij aut viſus, vel propter vitium aſtrolabij, tabularum & inſtrumentorum aſtronomicorum. Atque hoc etiam apud ſacras literas in cap. 9. lib. Sapientiæ teſtatum legimus: *Corpus*, inquit, *quod corrumpitur aggrauat animã, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Et difficilè æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore. quæ autem in cœlis ſunt quis inueſtigabit? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altißimis?* Extremum autem huius ſentẽtiæ, omninò redarguit Aſtrologos, qui humana omnia euenta quorum multa ex ſecretiſsimo Dei conſilio & voluntate pendent, diuinare ſe poſſe profitentur.

§. 8. *Aduerſus fictitiam antiquitatem obſeruationum quam iactant Aſtrologi.*

PRAETEREA, iactant Aſtrologi, habere ſe innumerabilium annorum obſeruationes rerum euẽtis comprobatas, è quibus ars ipſorum collecta & confecta ſit: nam cum in omni præteriti temporis ſpatio, penè innumerabiles res eodem modo euenirent, ijſdem ſignis antegreſ-

ſis;

sis; ars est effecta eadem sæpè animaduertendo atque notando: quare Chaldæos ferunt quadringenta septuaginta millia annorum, monumentis huiusmodi obseruationum astrologicarum comprehensa habuisse. Verùm, hoc quàm sit commentitium & improbabile, vel ex eo liquet quod Astrologi non potuerunt eiusmodi obseruationes & expérientias, non dico millies vt ipsi iactitant, sed ne ter quidem bisue colligere & comparare potuerunt. nam cœli facies, & omnium signorum cœlestium positura quæ semel fuit, eadem omnino vel nunquam, vel non nisi post immensa annorum spatia redire potest: quippe octauus orbis in quo sunt inerrãtes stellæ, non ante sex & triginta annorum millia circuitum suum absoluit. quin doctissimi quidam Mathematici, optimis rationibus probarunt, motus cœli esse inter se incommensurabiles, ob idq; eandem cœli faciem, eundemque stellarum positum sæpius euenire non posse.

Phauorinus contra Astrologos.

Hanc rationem Phauorinus philosophus apud Gellium lib. 14. cap. 1. paulò enucleatius, certè luculentius & elegantius tractat his verbis, Si Chaldæorum isto modo cœpta fieri obseruatio est, vt animaduerteretur quo habitu, qua forma, quaque positura stellarum aliquis nasceretur: tum deinceps ab ineunte vita, fortuna eius & mores & ingenium & circumstantia rerum negotiorumque, & ad postremum finis etiam vitæ spectaretur; eaque omnia, vt vsu venerant, literis mandarentur: ac postea longis temporibus, cum ipsæ illæ eodem in loco eodemque habitu forent, eadem ceteris quoque

quoque euentura exiſtimarentur qui eodem illo tempore nati fuiſſent: Si iſto, inquit, modo obſeruari cœptum eſt, ex eaque obſeruatione compoſita quædam diſciplina eſt, nullo id pacto poteſt procedere. dicant enim quot tandem annis, vel potius quot ſæculis orbis hic obſeruationis perfici quiuerit. Conſtare quippe inter Aſtrologos dicebat, ſtellas iſtas quas erraticas dicerent, quæ eſſe omnium rerum fatales dicerentur, infinito propè & innumerabili numero annorum ad eundem locum, cum eodem habitu ſimul omnes vnde profectæ ſunt, regredi; vt neque vllus obſeruationis tenor, neque memoria vlla, neque effigies literarum tanto æuo potuerint edurare. ſic Phauorinus. Adhæc, licet Aſtrologi cognoſcere poſſent ſingulares vires & defluxus cuiuſlibet aſtri ſeparatim, tamẽ quam vim habeant ſydera, cum defluxus diuerſorum aſtrorum vnà coëunt & permiſcentur, vel in cœlo vel in aëre vel in terra vel etiam cum cauſis ſublunaribus earumque actionibus; ab ipſis nequaquã ſciri poteſt. Audiat lector Origenem, cuius ex Commentarijs ſuper Geneſim, hanc Euſebius extremo lib. 6. de Præparatione Euãgelica citat ſententiam: Quæ autem, inquit, commiſtione, compoſitione, ac temperie diuerſorum aſpectuũ fieri afferunt, profecto concedent nullo modo ſciri poſſe. Quomodo enim quantum diminuatur de læſione maligni aſpectus propter aſpectum benigni ſyderis percipies? & vtrum auferat malignus quod à benigno conceditur, quoniam locum eius aſpexerit; aut mutet, aut imminuat, aut miſtura quædam

Origenes.

dam inde fiat, quis percipiet? quæ omnia si quis altius inspiciat, facile credat non posse ista humano ingenio penitus percipi. Vnde si quis harum rerum periculum fecerit, videbit in pluribus errare, quàm veritatem consequi Genethliacos. Quamobrem Esaias etiam quasi hæc omnibus impossibilia sint, ad filiam Chaldæorũ qui maxime ista profitentur ait, *Adsint & saluam te faciant Astrologi, cœli Augures annuncient tibi quid euenturum sit.* His enim verbis docemur, vel diligentissimos in hac re Chaldęos, non posse prædicere quæ velit vnicuiq; genti Deus attribuere. Hactenus Origenes. *Esaiæ 47.*

His accedit, multas esse stellas quæ vel non clarè cernuntur, vel etiam nullatenus cernuntur: earum verò quæ cernuntur, paucas sibi esse cognitas, permultas verò necdum exploratas fatentur Astrologi. qua ratione igitur ex paucis astris quorum vires norunt tam confidenter prænunciant futura, cum per aliorum syderum quæ nesciunt influxus, notorum sibi syderum effectus, aut impediri aut variari possint? nisi fortè astrorum quæ latent ipsos nullas esse vires nullosq; defluxus, impudenter & absurdè mentiantur. Certè constat inter Astrologos numerari in octauo cœlo mille præterq; viginti duas stellas, quarum cum quælibet maior sit terra, necesse est ingentem esse earum vim & potentiam. huiusmodi stellarum, vel nullam vel perexiguam notitiã habent Astrologi, quippe cum ars eorum iudiciaria ferè cõstet ex planetarum obseruationibus, in quibus tota propemodum

versatur & consumitur. Vidit hoc, quà erat perspicacia ingenij Seneca, & in libro 2. Natural. quæstionum, cap. 32. eleganter exposuit, Quid est aliud, inquit, quod errorem incutiat peritis natalium, quàm quod paucis nos syderibus assignant; cum omnia quæ supra nos sunt, partem sibi nostri vendicent? Submissiora forsitan in nos propius vim suam dirigunt, & ea quæ frequentius mota, aliter nos, aliter cætera animalia prospiciunt. cęterum, & illa quæ aut immota sunt, aut propter velocitatem vniuerso mundo parem, immotis similia, non extra ius dominiuḿq; nostri sunt. Hæc Seneca.

9. *De noua stella, quæ superioribus annis visa est.*

SVPERIORIBVS annis vidimus stellã nouam ante illud tempus nũquam in cœlo visam, & iudicio Astrologorum in eodem loco vbi stellæ fixæ lucent positam: hæc cum ad aliquod tempus conspicua fuisset, repente tota ex aspectu nostro discessit & prorsus euanuit. hanc stellam necesse est vel in cœlo esse generatam & postea corruptam, idemque in alijs sæpius euenire, longis tamen temporum interuallis verisimile est: vel esse supra septem planetas alia sydera errantia quæ proprios quidem meatus, sed nobis tamen ignotos habeant: vel denique quas nos in octauo orbe stellas inerrantes & infixas putamus, eas quoque proprios circuitus & motus agere. de quo addubitasse olim Hipparchum nobilissimum in astrologia virum, locuples auctor & testis est Plinius in cap. 26. lib. 2. Hipparchus,

Hipparchus.

parchus, inquit, nunquam satis laudatus nouam stellam, & aliam in æuo suo genitam deprehendit: eiusque motu qua die fulsit, ad dubitationem est adductus, anne hoc sæpius fieret, moueranturq; & eæ quas putamus affixas. Quid quod permagni ad artem suam referre censent Astrologi, conuenientiam & discrepantiam quæ est inter duos Zodiacos, alterum octaui alterum noni cœli, exploratam habere? quæ tamen ipsis nota esse non potest: quippe cum nonum cœlum omni stella luceq; careat, nec aliud de ipso quàm motus, isque ex motu octaui cœli deprehendi possit. Latet etiam Astrologos quemadmodum isti duo Zodiaci se habuerint in exordio mundi, quod tempus ab origine mundi ad hanc diem exactum, certo teneri nequeat: nam vt annorum eius temporis ratio aliqua iniri & numerus colligi possit, dierum tamen & horarum non potest: quorum tamen subtilis & certa computatio, isti doctrinæ Astrologicæ opus est.

Duplex Zodiacus apud Astrologos.

10. *Quàm difficile sit, aspectum syderum qui in cuiusque hominum ortu viget annotare.*

IAM verò vix potest sine errore vllo notari & cognosci positus astrorum qui est in eo momento quo quisque nascitur. Etenim difficillimũ est vel punctum temporis in quo quispiam oritur, vel in eo ipso puncto aspectum syderum omnium qui tunc viget, obseruare: sæpè namque cœli & stellarum aspectum, nubila & crassorum vaporum interpositus, vel adimunt nobis,

vel interturbant & infuſcant; & quod caput eſt, rapidiſsima cœli vertigo facit vt conſtellatio prius tranſuolet, quàm à nobis propriè annotetur: quippe per ſingula ferè momenta, alia & alia cœli facies, & identidem diuerſa aſtrorū poſitura exiſtit. Profitentur iſti Aſtrologi ſe cuiusuis hominis euenta omnia prænunciare poſſe, dummodo ſibi ortus eius certum tempus pernoteſcat: at eiuſmodi tempus ſubtiliter & propriè, ita nimirum vt opus eſſet Aſtrologo, ferè neſcitur. Nam vt dicatur, exempli cauſa, Petrum eſſe natum vigeſimo ab hinc anno, die Septembris vltimo, hora noctis decima, vel ineunte vel media vel iam exeunte; at momentum illud, vel potius minimum illud tempus quo Petrus aluo matris fuſus & in lucem editus eſt, nec obſtetrix, nec parentes ſeu cognati, ſubtiliſsimè annotatum & perſpectum habent: qua tamen temporis illius ſubtiliſsima obſeruatione & cognitione, ad diuinandum eget Aſtrologus.

B. Baſilij argumentatio contra Aſtrologos.

Non poſſum facere, vt ad ſcribere hoc loco prętermittã verba Baſilij quibus ipſa hæc ratio quam nos ſtrictim attigimus, latius ab eo explicatur & acrius vrgetur. Sic enim ille homil. 6. ſuper Geneſim ſcriptum reliquit, Genethliacæ artis inuentores, cum in temporis amplo ſpatio complures figuras ſuam ipſorum ſcientiam fugere percepiſſent, in anguſtum admodum temporis contraxere mẽſuras, vt minutiſsimo quoque & ſubitaneo articulo, quale eſt quod Apoſtolus dicit: *In momento temporis, in ictu oculi*, plurimum differẽtiæ ſit inter natiuitatem & natiuitatem. Vt is quidem qui hoc in momento genitus

1. Corinth. 15.

genitus eſt, futurus ſit Rex ciuitatum, populorumq; princeps, locupletiſsimus, præpotens: Is autem qui natus eſt temporis ſequentis momẽto, pauper quidam ſit futurus, aut mẽdicus circulator, vel præſtigiator, ex oſtijs oſtia permumutans quotidiani conſequendi cauſa victus. quamobrẽ eo orbe qui ſignifer appellatur duodecim in partes diuiſo, cum in triginta dierum ſpatio partem Sol eius globi tranſeat duodecimam quem inerrantem appellant, triginta in portiones ſingulas illas duodecim partes ſecuerunt. tum ſingulis portionibus illis in ſexaginta minuta diuiſis, minuta hæc ſingula rurſum in alia ſexaginta modo ſimili diuiſere. Poſito igitur enixu eorum qui in lucem eduntur, videamus, obſecro, ſi hanc exactiſsimam temporis diuiſionem Auctores hi ſibi valeant conſeruare. Nam ſimul atque editus puſio eſt, mas an femella ſit, obſtetrix explorat: tum vagitum expectat infantis, nimirum indicium vitæ eius qui natus recens eſt. Quot hoc tempore vis ſexageſima præterijſſe minuta? Dicit obſtetrix deinde Chaldæo partum qui editus eſt: quot minutiſsima momenta vis interea dum obſtetrix loquitur prætercurriſſe? præſertim ſi fortè fortuna fuerit non in conclaui mulierum Chaldæus ille præſens, ſed in ædium atrio, aut veſtibulo, tempus horamq; reponens. Et cum eum qui definiturus eſt diligenter tempus ac horam, exploratoria nimirum horarum percipere oporteat inſtrumenta, ſiue diurna ſint ſiue nocturna: quot minutorum hoc quoque tempore, quæſo, præteruolat prætéritq; examen? Compertam enim

eam esse stellam qua tempus horaq; sit explorãda, non solum quanta in parte sit duodecima, sed etiam quàm iuxta duodecimæ portionem partis, in quotoque minuto sexagesimæ eorum, in quæ subdiuisa sunt singula sexagesima illa prima, necesse est. Atque hanc tamen adeo tenuem subtilemq; temporis inuentionem, quanquam attingere nequeunt, singulis in stellis errantibus faciendam esse necessariò dicunt, vt qualem ad cœlo adfixas stellas ipsæ dispositionem habitudinemué haberent, qualisq; ipsarum esset inter sese figura, cum in lucem ederetur fœtus, compertum sit tandem ac exploratum. Quæ cum ita sint, si fieri non potest vt tempus illud exactissimè quisquam attingat, variationeqúe vel breuissimi temporis fit vt tota via penitus aberretur; deridendi profectò non mediocriter esse videntur, tam ij qui studio huius indulserunt artis quam in ratione rerũ nusquam esse constat, quàm illi qui hiantes ab illorum ore pendent intenti : perinde quasi omnia illi scire possint quæ ipsis sunt euentura. Hactenus sunt quæ Basilius eo loco aduersus Astrologos disputat.

ETIAM SI ASTROLOGI SVMMAM rerum cœlestium cognitionem tenerent, non posse tamen eos futura diuinare, probatur octo rationibus.

CAPVT III.

SED concedamus Astrologis quod ipsi falso & impudenter sibi arrogant, perfectam videli-

delicet aſtrorum & cœli ſcientiam: hanc ipſam nunc contendo non poſſe certam futurarum rerum prænotionem & diuinationem efficere; idq; multis & validis rationibus confirmo.

II. *Octo rationes, quibus probatur ex cognitione aſtrorum etiam perfecta, non poſſe diuinari omnia quæ futura ſunt.*

PRIMA RATIO. Vera eſt & trita eſt in ſcholis illa Philoſophorum ſententia, Sicut res ſe habet ad eſſe, ita quoque ſe habet ad cognitionem; hoc eſt, propter quas cauſas quæque res fit & eſt, per eas cognoſci debet, ſi quidem perfectam eius rei ſcientiam adipiſci volumus. ad generationem autem futurorum effectuum particularium, non modo concurrit cœlum ſed etiam cauſa particularis: eſt enim cœlũ cauſa vniuerſalis, quo fit vt eius vis & efficientia ſit etiam vniuerſalis & indeterminata ad producendum quoſlibet effectus particulares: determinatur autem vis cœli per cauſas particulares. quamobrem veriſsimum eſt illud quod dixit Ariſtoteles, Sol & homo generant hominẽ. quin effectus particulares, licet quod attinet ad eorum effectionem & conſeruationem, maximè pendeant ex cauſis vniuerſalibus; tamen quod pertinet ad propriam cuiuſque eorum naturam & ad naturales proprietates, tam ſpecificas quàm indiuiduales, magis particularem cauſam quàm vniuerſalem æmulantur atque imitantur. *Prima ratio.*

12. *Præter cauſas cœleſtes, neceſſariam eſſe notitiam cauſarum particularium ad prænoſcendos earum effectus.*

Sicut ad generationẽ rerum futurarum nõ tantum concurrit cælum ſed etiam cauſa particulares, ita ad certam earundem rerum prænotionem, non ſolius cæli notitiam ſatis eſſe poſſe. B. Auguſt.

CVM igitur præter cauſas cœleſtes, ad producendos effectus futuros opus ſit etiam cauſa particulari efficiente, & materia idoneè præparata, quorum ſi deſit alterutrum, prorſus nullus futurus eſt effectus, ex his neceſſariò concluditur, ad prænotionem futurorũ effectuum, cœleſtium cauſarum notitiam non eſſe ſatis. Atque hoc etiam quotidianis & manifeſtis experimentis conſtat. cernimus enim agricolas eodem tempore & ſub eodem ſyderum aſpectu varia ſeminum genera in terram iacere, ex quibus tamen diuerſa naſcuntur: quæ ſanè diuerſitas nõ ad cauſas cœleſtes, ſed ad diuerſas tantùm ſpecies & vires ſeminum referri poteſt, Ad hanc eandem ſententiam, in libro ſecundo de Geneſi ad literam, cap. 17. ita ſcribit Auguſtinus: Cum multa corpora diuerſorum generum, vel animantium, vel herbarum & arbuſtorum, vno ſimul puncto temporis ſeminentur, vnoque puncto temporis innumerabiliter multa naſcantur, non tantum diuerſis ſed etiam ijſdem terrarum locis, tantæ ſunt varietates in progreſsibus, in actibus, & paſsionibus eorum, vt verè iſti (ſicut dicitur) perdant ſidera, ſi iſta conſiderent. Quid autem inſulſius & hebetius, quàm cum iſtis rebus conuincuntur, dicere ad ſolos homines ſibi ſubijciendos fatalem ſtellarum pertinere rationem? ſic Auguſtinus: cuius extremum dictum paulo vberius tractat apud Gellium libro 14. capite

capite 1. Phauorinus: Si vitæ, inquit, mortisque hominum rerumque humanarum omniũ tempus, & ratio, & causa in cœlo & apud stellas foret; quid de muscis aut vermiculis aut echinis, multisque alijs minutissimis terræ marisq; animantibus dicerent? an ista quoque ijsdem, quibus homines legibus nascerentur, ijsdemque itidem extinguerentur? vt aut ranunculis quoque & culicibus nascendi Fata sint de cœlestium syderum motibus attributa; aut si id non putarent, nulla ratio videretur cur ea syderum vis in hominibus valeret, si deficeret in cęteris.

13. *De simili ortu & dissimilibus euentis Geminorum.*

SECVNDA RATIO. Si vera esset istiusmodi Astrologorum doctrina, necesse esset Geminos qui vno tempore concepti & nati sunt, simillimos omninò fore: quod falsum esse, satis perspicuum est. nam vt cęteram eorum dissimilitudinem taceam, euenit nonnunquam vt alter sit mas, alter verò femina. Cicero quidem in altero libro de Diuinatione; Proclum & Euristhenem reges Lacedæmoniorum fratresque geminos commemorat, quorum tamen & exitus vitæ dissimlis, & gloria rerum gestarum dispar fuit. Verùm, in sacris literis luculentissimum eius rei habemus exemplum: Iacob enim & Esau eodẽ concubitu, vt inquit Paulus Rom. 9. sati eodemque tempore nati, dissimillimis tamen ingenijs, studijs, moribus, & euentis fuerunt. Nec verò firmum est illud præsidium in *Secunda ratio.*

quod refugiunt Astrologi, cum hoc argumento vrgentur; videlicet breuissimam illam moram quæ inter Geminorum ortus intercedit, licet ea nobis perexigua videatur, in cœlo tamen, ob eius vastitatem & rapidissimam conuersionem, esse admodum insignem magnamq; facere variationem. Hoc Nigidius Figulus declarabat exemplo rotæ, quam incitatissimè contortam, cum bis eodem loco signare atramento vel percutere summa celeritate conatus esset, cessante ipsius rotæ circumactione, reperta sunt duo illa loca ab ipso percussa vel signata, haud paruo inter se interuallo disiuncta. Hoc, inquam, præsidium & refugium infirmum est, parumque tutum Astrologis. Etenim, licet in ortu Geminorum aliqua fuerit mora, in eorum tamē conceptu prorsus nulla fuit. Deinde, si tam breui variatur ratio constellationis sub qua quisque nascitur, erit profecto proprium tempus ortus cuiuslibet, Astrologis incomprehensibile. Denique, valebit hoc loco aduersus Astrologos argumentatio illa beati Gregorij: Si propterea Iacob & Esau non censentur nati sub eadem constellatione, quod non simul nati sunt, sed vnus post alterum; ob eandem profecto causam iudicandum erit, nullum hominum sub eadem constellatione totum nasci. non enim totus simul ex vtero procedit, sed particulatim & membratim: primò enim effert caput, tum collum, deinde pectus, postremò pedes. Iacob enim proximè natus est post Esau manu plantam pedis eius tenens, perinde quasi, sicut inquit Augustinus libro secundo de Genesi ad literam, capite

Similitudo Nigidij Figuli.

B. Gregorius homil. 10. super Euangel.

Augustinus.

pite 17. vnus infans instar duorum vel duplo longior nasceretur.

Verùm, hanc rationem admodum disertè Phauorinus aduersus Chaldæos disputans, exequutus est. Atque id velim etiam, inquit, vt respondeant, si tam paruum atque rapidum est momentum temporis in quo homo nascens Fatum accipit, vt in eodem illo puncto sub illo circulo cœli, plures simul ad eandē competentiam nasci non queant: & si idcirco Gemini quoque non eadem vitæ sorte sunt, quoniam non eodem temporis puncto editi sunt: peto, inquit, respondeant, cursum illum temporis transuolantis qui vix cogitatione animi comprehendi potest, quonam pacto aut consulto assequi queant, aut ipsi perspicere & deprehendere; cum in tam præcipiti dierū noctiumq; vertigine, minima momēta ingentes facere dicant mutationes? Sic Phauorinus. Ipsum hoc argumētum de Geminis diligenter & subtiliter pertractat August. lib. 5. de Ciuit. Dei primis aliquot capitibus; atq; in 2. lib. de Doctrina christiana, cap. 22. & verò, maximū facessit negotiū Astrologis: si enim tam breui temporis momēto mūtantur omnia, vt nō diuersa modo, sed etiā aduersa plerunq; eueniant, quis de nato puero possit quicquā certi prędicere, cum illud temporis punctū quo vel conecptus vel natus est, ita vti est, nemini possit esse cognitum? Itaque, vt magna in homines vi & potestate pollerent astra, quid ea tamen in singulorum hominum generatione & ortu efficerent, in compertum esset nobis: quippe cum aspectus cœli & positus astrorum qui est tempore quo

Phauorinus apud Aulū Gell. lib. 14. cap. 1.

Augustinus.

re quo quiſque naſcitur, certo deprehendi nequeat: incitatiſsimus enim cœli & aſtrorum motus, tarditatem noſtræ conſiderationis & obſeruationis præteruolat & anteuertit.

Tertia ratio.

TERTIA RATIO. Miſſos nunc facio Geminos, quorum interruptus partus aliquam præbuit latebram Aſtrologis. conſideremus in præſentia quamplurimos prorſus eodem tempore, & in eadem regione, eodemque ſyderum aſpectu & poſitura, ex diuerſis tamen parentibus progeneratos: de iſtis non poteſt Aſtrologus ex obſeruatione ſyderum, nõ eadem euenta prænunciare; cum ſimul concepti & nati fuerint, & ſub eadem conſtellatione. At longè ſecus eſſe, quotidiana demonſtrat experientia. quam multi enim toto orbe ſimul & generantur in vtero, & in lucem eduntur, quorum deinde maxima eſt ingeniorum, ſtudiorum, morum, religionis, caſuum, denique vitæ ac mortis euentorum diſsimilitudo? Omnium Romanorum qui Cannenſi pugna quamplurimi cæſi ſunt ab Annibale, idem fuit vitæ exitus & interitus: quis autem exiſtimet, eodem illos omnes ſtellarum aſpectu, poſituq; fuiſſe natos? Idem dico de tot millibus Turcarum qui nauali pugna ab hinc octo & decem annos, memorabili ad immortalitatem victoria, à Chriſtiana claſſe profligati, & internecione deleti ſunt: quorum omnium eandem fuiſſe rationem ortus, eandemq; in generatione eorum viguiſſe cœli conſtellationem, ſtultum eſt dicere. An quo tempore natus eſt Homerus, Hippocrates, Ariſtoteles, & Alexander Magnus, non eodem quoque alios

alios complures natos esse putabimus ? at quis, illorum similis adhuc extitit ? Phauorinus sic argumentationē hanc contexebat, Quàm multi homines vtriusque sexus, omnium ætatum, diuersis stellarum motibus in vitam editi, regionibus sub quibus geniti sunt longè distantibus, omnes tamen isti, aut hiantibus terris, aut labentibus tectis, aut oppidorum expugnationibus, aut eadem in naui fluctu obruti, eodemque genere mortis, eodemque ictu temporis intereunt? Quod scilicet nunquam eueniret, si momenta nascendi singulis attributa, suas vnumquodque leges haberent. Quod si quædam in hominum morte atque vita etiam diuersis temporibus editorum, per stellarū pares quosdam postea conuentus, paria nōnulla & consimilia posse dicuntur obtingere; cur non aliquādo possint omnia quoque paria vsu venire, vt existant per huiuscemodi stellarum concursiones & similitudines, Socrates simul & Antisthenes, & Platones multi, genere, forma, ingenio, moribus, vita omni & morte pari ? quod nequaquam, inquit, prorsus fieri potest. Non igitur hac causa Chaldæi probè vti queunt aduersus hominum impares ortus, interitus pares. Hæc Phauorinus.

Phauorinus apud Aulū Gellium lib. 14. cap. 1.

14. *Pulcherrima disputatio Bardesanis aduersus Astrologos.*

Qvarta Ratio. Bardesanes Syrus in doctrina rerum cœlestium excellenter versatus, in eo dialogo, quem rogatu amicorum de Fato & aduersus Chaldæos conscripsit, futilissimas esse

Quarta ratio.

esse Astrologorum obseruationes, & rarò non ementientes eorum prædictiones, ad hunc ferè modum (vt memorat Eusebius lib. 6. de Præparatione Euangelica, cap. 8.) demonstrabat: Apud Seras lex est prohibens occidere, fornicari, & adorare simulachra: vnde in illa regione nullum templum conspicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo fur, nemo homicida: nec voluntatem alicuius illorum ardentissima stella Martis in medio cœli constituta ad cædem hominis coëgit; nec Venus Marti coniuncta vt alienam quispiam solicitaret vxorem potuit efficere. Atqui, singulis etiam apud eos diebus in medium cœli Martem peruenire necesse est, & in tanta regione singulis horis nasci homines non est negandum. Apud Indos autem & Bactros, multa millia hominũ sunt qui Brachmanes appellãtur: hi tam traditione Patrum quàm legibus nec simulachra colunt, nec animatum aliquid comedunt, vinum aut ceruisiam nunquam bibunt, ab omni demum malignitate absunt, soli Deo attendentes. At verò, cęteri omnes Indi in eadem ipsa regione adulterijs, cæde, temulentia, simulachrorum cultu inuoluuntur; inueniũturq; ibi nonnulli, immo verò gens quædam Indorum est in eodem climate habitans, qui homines venantes atque sacrificantes deuorant: nec vlli planetarum quos felices ac bonos appellant, à cæde ac sceleribus istis eos prohibent: nec maligni, Brachmanas pellere ad malefaciendum potuerunt. Apud Persas lex erat, filias, sorores, matres quoque ipsas in matrimonium ducere; nec in Perside solum, verum-

rumetiam quicunque Persarum ad alia climata orbis è patria exiuerunt, nefanda hæc diligenter matrimonia celebrarunt: quos, aliæ gentes hoc scelus abominatæ, Magusseos appellant. Suntq; vsque ad hodiernum diem in media Ægypto, Phrygia, Galatiaq; plurimi Magussei successione patrum, eisdem sceleribus contaminati. Nec dicere possumus in terminis & domo Saturni, cum Saturno ipso in natiuitatibus omnium, Marte aspiciente Venerem fuisse. Amazones viros non habent, sed tempore veris fines suos egredientes cum vicinis conueniunt. Vnde omnes naturali lege eodem tempore pariunt, masculisq; interfectis solas feminas alunt, bellicosæque omnes similiter sunt, magnam exercitationis bellicæ curam gerentes. Stultum autem est opinari, omnes istiusmodi fœminas prorsus ijsdem natalitijs astris esse genitas. Fit hoc confirmatius argumento exemploque Iudæorum, qui vbicumque terrarum & gentium sint nati aut versentur, inuiolabili obseruatione & infantes suos octauo die circumcidũt, & omnem diem sabbathi feriatum festumque religiosissimè agunt. Non sunt autem Iudæi omnes sub eadem constellatione procreati, nec eos à patrijs legibus & institutis vlla vis & potentia cœlestium corporũ abstrahere potest. Sed quid dicemus de Christianis? qui innumerabiles toto orbe sparsi, idem vitæ genus atque doctrinæ custodiunt, nec à disciplina quam ipsis Christus Dominus tradidit, vel promissis vllis, vel minis aut supplicijs vel latum vnguem amoueri possunt. an dicturi sunt, Christianos omnes eodem

astro

astro esse natos? Sed illud maximum est argumentum, qui ante susceptam Christi disciplinam patrias leges & instituta studiosissime acerrimeqúe tenebant, eos postea factos Christianos, illis desertis abiectisq; longè diuersam vitam agere, diuersos mores induere, & diuersissimam religionem & doctrinam colere. Itaque nec multas Parthi Christiani ducunt vxores, nec Medi canibus mortuos obijciunt, nec Indi mortuos suos cremant, nec Persæ cum sororibus aut cum filiabus nefario matrimonio miscentur, nec Ægyptij Apin, aut canem, aut hircum, aut felem colunt; sed vbicumque sunt, eisdem legibus, moribus & institutis viuunt. Quid plura? singulis horis apud omnes gentes homines nascuntur: vbique autem leges atque mores propter liberam hominis potestatem prævalere videmus. Nec natalitia sydera nolentes Seras ad homicidium compellunt, aut Brachmanas ad esum carnium; nec Persas à sceleratis nuptijs remouent; nec Medos prohibent vita defunctos canibus exponere; nec Parthos multas ducere vxores. Singulæ namque gentes, vt volunt & quando volunt, libertate sua vtuntur, legibus, moribusq; obedientes. Hactenus sunt quæ ex disputatione Bardesanis aduersus Astrologos commemoranda hoc loco censuimus.

Quinta ratio. QVINTA RATIO. Stante libero arbitrio hominis & immortalitate animi nostri, ars ista nullo modo stare potest: Si autem ea stet, illa funditus corruere necesse est. quo intelligere licet qualis istiusmodi ars existimanda sit, quæ nisi

nisi pessundata & obtrita, sublataq; nostrorum animorum libertate atque immortalitate, nihil progredi, nec vllo modo consistere queat. Quod autem, si animus noster immortalis & in agendo liber sit, diuinatio astrologica nulla esse possit, his argumentis concluditur. Primò, Astrologi profitentur se futuras hominum actiones euentaqúe, ex suæ artis obseruationibus præsentire & prænuntiare posse. hoc autem falsum est; futura enim quæ ex libera hominis voluntate proficisci debent, nullo modo possunt esse nota Astrologis. nam vel cognoscerent futura in se ipsis, quod fieri non potest, quippe, quæ futura sunt, nondum per se actu sunt; quod autem non est, prout non est, non intelligitur, sed prout aliquo modo est, nimirum potestate in suis causis. Nec prænosci queunt futura in ipsorum causis quæ tres sunt, Deus, cœlum, voluntas humana, qũæ autem ex Dei proposito, consilio & absoluta voluntate euentura sunt, ea nulli mortalium vel ex cœlo, vel alia quacunque ratione, nisi cui Deus ea voluerit aperire, cognita esse possunt. *Quis enim*, inquit Scriptura, *cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* & vt scriptum est in 9. capite libri Sapientiæ: *Quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit? sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?* Ex cœlo autem, futura quæ pendent ex voluntate hominis non possunt cognosci; tum quia cœlum est causa vni-

Rom. 11. & *Isaiæ* 40.

ſa vniuerſalis, quare futuri effectus particulares non niſi vniuerſaliter & indeterminatè in cœlo contineri & cognoſci poſſunt: tum etiam quia cœlum eſt cauſa corporalis & materialis, quare animus noſter qui per ſe incorporeus & expers materiæ eſt liberqúe in agendo, cœli efficientiæ ac operationi directè & neceſſariò minime ſubiacebit. Voluntas porro humana quę eſt proxima cauſa humanarum actionum, reſpectu futurorum quę ex ipſa proficiſci debent, per ſe indifferens & indeterminata eſt: multa enim acturi ſumus, de quibus nihil dum cogitauimus, nedum deliberauimus: quomodo igitur cauſa indeterminata & indifferẽs poteſt definitam certamq; futuri effectus cognitionem parere? Confirmatur hoc: exteriores actiones hominis pendent ex interioribus, ex deliberatione dico & electione: non poteſt igitur futura hominis actio exterior prænoſci, niſi cognita ſit futuræ voluntatis electio vnde illa proficiſci debet: at futura hominis electio non poteſt alteri homini eſſe cognita; ſi enim propoſitum animi & deliberationem quam quis in præſens habet mente conceptam, nemo alius ſcire poteſt, quanto minus ſcire poterit conſilium, propoſitum, & voluntatem alterius hominis, quæ multos poſt annos futura eſt?

15. *Vtrum ſit facilius, diuinare quid facturus ſit vir bonus, an vir improbus.*

DEINDE, aut conſideratur homo vt viuit & opera-

operatur ſecundum rationem, aut ſecundum ſenſum & appetitum: ſi ſecundum rationem, ſic homo non pendet è cœlo, eſt enim mens & ratio expers materiæ & incorporea: nullum autem corpus per ſe agere poteſt in id quod eſt incorporeum. ratio item libera eſt, ſuarumqúe actionum domina, & ſuo arbitratu ac voluntate poteſt ad hoc vel illud agendum ſe ipſa applicare. nam quamuis vel à cœlo, vel ex naturali conſtitutione & temperatione ſui corporis, vel à diabolo, vel aliunde inſtigetur ad malè agendum; poteſt ea tamen reniti, & vi ſua omnes inſtinctus, impulſus, & irritamenta extrinſecus ei obiecta, comprimere & irrita facere; quinetiam contra quàm incitatur agere. Hoc manifeſtum fit vel vnius Socratis exemplo, qui ex naturali corporis affectione & comparatione, & bardus & mulieroſus erat; ſed eiuſmodi vitioſas naturæ propenſiones, adeo animi robore & diligentiæ magnitudine emendauit, vt omnium ſui temporis prudentiſsimus & continentiſsimus ſit habitus. Homo autem viuens ſecundum ſenſum & appetitum carnalem, tam variabilem & incertam vitam agit, vt qualis futurus ſit, nullo modo prædici queat. Quamobrem Salomon (quod eſt in 30. capite libri Prouerbiorum) dixit: Alia quædam ſibi eſſe cognitu difficilia; illud autem eſſe prorſus ignotum, qualis ſit via adoleſcentis in adoleſcentia ſua. Eſt enim ea ætas adeo lubrica ad quodlibet vitium, adeo mollis & flexibilis in omnes partes, adeo vagans & errans per omnia & nulla in re

Hominem vt operatur ſecundum rationem non è cœlo, nec alia ex cauſa ſalla præter Deum, per ſe ac neceſſariò pendere.

Quàm sit instabilis vita & actiones hominis viuentis non secundum rationem, sed secundum sensum.

diu perseuerans; vt nulla certa ratione modo regi & duci, sed quocumque impellit cupiditas, illuc inconsultè & temerè rapi videatur. quo fit, vt facilius sit diuinare quid acturus sit qui viuit secundum rationem & virtutem, quàm quid sit acturus qui rationis & virtutum regula & lege posthabita, suas duntaxat cupiditates sectatur. Sic etiam facilius est diuinare quid facturus sit Rex qui secundum rectam rationem iustasque leges imperat, quàm quid facturus sit Tyrannus qui omnia pro suo commodo & libidine administrat. Qua ratione igitur Astrologi certa scientia consequi possunt ea quæ nihil ratum, firmum, fixumque & certum habent?

Pulchrum dilemma aduersus Astrologos.

Adhæc, aut istud Fatum cœleste & potentia syderum potest ab homine impediri ita vt effectus eius non eueniat, aut nullo modo impediri potest: Si potest impediri & non euenire, ergo sicut effectus est incertus, ita prædictio eius certa esse non potest. Si non potest impediri, ergo nullum est liberum arbitrium; & ex eo conficitur animum nostrum esse materialem atque mortalem, vtpote syderum potestati necessariò subiectum. Nec verò si ita res se haberet, quicquam prodessent hominibus prædictiones Astrologorum: quid enim iuuaret nosse tanto ante futura, si ea nullo modo declinari & caueri possent? quin, vt ego censeo, plus mali quàm boni afferrent nobis, quos necesse esset non solum præsentibus malis torqueri, sed etiam tam longinqua & ineuitabili eorum expectatione

Si Astrologorum prædictiones veræ & certa essent profecto inutiles & odiosa essent hominibus.

ſtatione acerbiſsimè cruciari. Probè hoc intellexit Seneca, licet non minorem quàm Aſtrologi ſyderibus in homines vim & potentiam tribueret: in libro enim decimo tertio epiſtolarum, octogeſima nona epiſtola ita ſcripſit: Venio nunc ad illum qui cęleſtium notitia gloriatur.

Frigida Saturni quo ſeſe ſtella receptet,
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.

Hoc ſcire, quid proderit? vt ſolicitus ſim, cum Saturnus & Mars ex contrario ſtabunt, aut cum Mercurius veſpertinum faciet occaſum vidente Saturno. Potius hoc dicam, vbicumque ſunt iſta, propitia eſſe nec poſſe mutari. Agit illa continuus ordo Fatorum, & ineuitabilis curſus. Per ſtatas vices remeant. effectus rerum omnium aut mouent ſydera, aut notant: ſed ſiue quicquid euenit faciunt, quid immutabilis rei notitia proficiet? ſiue ſignificant, quid refert prouidere, quod effugere non poſsis? ſcias iſta, neſcias, fient. Hæc Seneca. Sed vide quàm argutè ac philoſophicè hanc ipſam ſententiam breuiſsimis verbis concluſit Phauorinus: Aut aduerſa, inquit, euentura dicunt, aut proſpera. Si dicunt proſpera & fallunt, miſer fies fruſtra expectando. Si aduerſa dicunt & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo. Si vera reſpondent, eaque ſunt non proſpera, iam inde ex animo miſer fies antequam è Fato fias. Si felicia promittunt, eaque euentura ſunt, tum planè duo erunt incommoda; & expectatio te ſpe ſuſpen-

Phauorinus apud Aulū Gellium, lib. 14. cap. 1.

ſum fatigabit, & futurum gaudij fructum ſpes tibi iam defloruerit. Nullo igitur pacto vtendum eſt iſtiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus. Sic Phauorinus.

16. *Quàm ſit vana ac futilis prædictio Aſtrologorum de aliquo, quod ſit futurus ſummus Pontifex.*

VERVM, illud maximè arguit prædictionum aſtrologicarum vanitatem: etenim audent etiam Aſtrologi prædicere & promittere, aliquem futurum verbi gratia ſummum Pontificem; atqui prouectio alicuius ad ſummum Pontificatum, non ex ipſius vel alterius vnius hominis voluntate aut poteſtate pendet, ſed ex voluntate atque ſuffragijs plurimorum Cardinalium, quorum munus eſt creare ſummum Pontificem. Quapropter vt certò prænunciari poſsit, Petrum, verbi cauſa, fore Papam, non ſatis eſt noſſe compoſitionem aſtrorum quæ in cœlo fuit naſcente Petro, ſed ſimul etiam opus eſſet, Aſtrologo perſpectos & cognitos eſſe omnes ſyderum poſitus & conſtellationes, ſub quibus nati ſunt quorumcumque voluntatum & ſuffragiorum concurſus ad creandum illum Papam futurus eſt neceſſarius. Quare, ſi verum eſt quod narrat in Auguſto Suetonius, Nigidium Figulum in eiuſmodi aſtrologia nobiliſsimum apud Romanos, accepta hora partus Auguſti, obſeruatiſqúe natalitijs eius aſtris, exclamaſſe, Dominum orbis eſſe natum; profecto exiſtiman-

Inanis prædictio Nigidij Figuli de futuro Auguſti dominatu.

mandum est id eum nec scienter, nec certa aliqua ratione, sed temerè ac fortuito dixisse, & casu factum esse vt ita contigerit sicut ille prædixerat. Promotio namque Augusti per multos honorum gradus ad summum vsque principatum & Monarchiam, ex multorum hominum studio, gratia, & opera pendebat; vt ad tantum Augusti dominatum & imperium certò prænoscendum atque prænunciandum, solius Augusti generationis & ortus consideratio satis esse nequaquam potuerit. neque enim natalitia Augusti sydera vim vllam habere potuerunt in eos qui fuere Augusti suffragatores adiutoresque ad consequendum principatum; scilicet multi eorum compluribus annis, vel ante vel post Augustum nati fuerant.

17. *Nullam posse esse scientiam vel artem istius Astrologiæ.*

Sexta Ratio. Omnis scientia, & ars versatur in ijs rebus quæ aut semper, aut certè frequenter ita contingunt vt ab ea docentur: quæ autem extra hæc sunt & rarissimè accidunt, ea quia nihil habent fixum & certum, propterea nullam possunt scientiam vel artem efficere. Cum igitur prædictiones Astrologorum ferè sint falsæ, nec nisi perquam raro veridicæ sint, satis liquet eas non ex arte aliqua & certis obseruationibus proficisci, sed inscienter & inconsultè ac temerè ab illis effutiri. Quamobrem Phauorinus identidem commonebat, vt cauerent

Sexta ratio.

Ars & scientia in his versantur, quæ semper aut plurimum eueniunt, qualis non est Astromantia.

Phauorinus apud

Aulus Gellius lib. 14. cap. 1.

rent homines ne quà ipsis Chaldæi ad faciendam fidem irreperent, quòd viderentur quædam interdum vera effutire aut spargere. Non enim comprehensa, aiebat, neque definita, neque percepta dicunt, sed lubrica atque ambagiosa coniectatione nitentes, inter falsa atque vera pedetentim quasi per tenebras ingredientes eunt: & aut multa tentando incidunt repentè imprudentes in veritatem, aut ipsorum qui eos consulunt, multa credulitate ducente perueniunt callidè ad ea quæ vera sunt: & idcirco videntur in præteritis rebus quàm futuris, veritatem facilius imitari. Ista tamen omnia quæ aut temerè aut astutè vera dicunt, præ cęteris, inquit, quæ mentiuntur, pars ea non fit millesima. Hæc Phauorinus apud Gellium. Sed audi quid in eandem sententiam libro secundo de Diuinatione scriptum sit apud Ciceronem. Quid plura, inquit? quotidie refelluntur Chaldæi. quàm multa ego Pompeio, quàm multa Crasso, quàm multa huic ipsi Cæsari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum: vt mihi permirum videatur, quenquam extare qui etiam nunc credat ijs quorum prædicta quotidie videat re & euentis refelli. Seneca in eo libello cuius inscriptio est: Ludus in mortem Claudij Cæsaris, initio introducit Mercurium apud Parcas mortem Claudij procurantem; & vt obiter Chaldæorum illudat vanitati, inter alias rationes quibus conatur Mercurius Parcas inducere ad necem Claudij, hanc affert, ne to-

M. Tullius.

Seneca.

tics

ties videlicet miseri Chaldæi mentiantur: Patere, inquit, Mathematicos aliquando verum dicere, qui illum postquam princeps factus est, omnibus annis, omnibus mensibus efferunt. Prędicebant enim illi Mathematici Claudium singulis annis & mensibus moriturum: quod etiam nostri temporis Astrologis contingit, à quibus mortes summorum Pontificum in singulos annos atque adeo menses prænuntiari audimus, & ridemus. Beatus Ambrosius lib. 4. in Hexemeron, cap. 7. Cum, inquit, ante dies paucos esset sermo de pluuia, quæ fore vtilis diceretur, ait quidã, Ecce Neomenia dabit eam. & quamuis cupidi essemus imbrium, tamen eiusmodi assertiones veras esse nolebam. Denique, delectatus sum quod nullus imber effusus est, donec precibus Ecclesiæ datus, manifestaret non de initijs Lunæ sperandum esse, sed de prouidentia & misericordia Creatoris; quo exemplo & vanitas istius astrologiæ confutata est, & efficacia Christianæ pietatis visq; religiosarum precum re ipsa comprobata. *B. Ambros.*

18. *Vanitas & falsitas multarum prædictionum Astrologicarum.*

Albvmazar princeps huiusce superstitionis astrologicæ, ex obseruatione & præceptis huius artis, prædixit Christianam legem duraturam non plus annos mille quadringentos sexaginta. sed bene habet, quod post id temporis, exacti iam anni centum vigintiocto falsam esse illius *Albumazar.*

Abraam Iudæus.

prædictionem apertè demonstrant. Abraam Iudæus prænunciauit ex obseruationibus astrologicis, expectatum à Iudęis Messiam venturum anno post Domini nostri ortum millesimo quadringentesimo sexagesimoquarto; quod nimirum tum futura esset eadé astrorũ compositio, quæ fuerat olim cum Moses ex Ægypto populum Hebræum eduxit: cuius prædictionis vanitatem dies ipsa redarguit.

Petrus de Aliaco.

Petrus de Aliaco scriptum reliquit, quo anno generale Concilium celebratum est Constantiæ ad tollendum schisma quod multos annos afflixerat Ecclesiam, prædixisse Astrologos eius temporis, nullam fore in Ecclesia pacem & concordiam, sed habitu cœli & conformatione astrorum præsignificari maximas fore dissensiones ingẽti cum religionis Christianæ detrimento & exitio. Atqui, per illud Concilium Constantiense, diuturnum illud & pernicioſum schisma eo anno extinctum est, pace ac tranquillitate Ecclesiæ reddita. qui euentus planè contrarius prædictionibus Astrologorum, sanè multum mouere debuerat Petrum Aliacensem, vt is nullam deinceps isti astrologiæ fidem haberet: præsertim verò, cum ipsemet vel suis deceptus obseruationibus, vel alienis occupatus & circumuentus opinionibus, veritus fuerit ne illud tam graue & odioſum schisma breui Antichristum mundo pareret.

19. *Errores Astrologorum in Chronologia.*

Albumazar.

ALBVMAZAR istorum Astrologorum coryphæ-

ryphæus, neſcio quas Saturni reuolutiones dilaudat: affirmat enim, quoties Saturnus denas ſui orbis conuerſiones perfecerit, hoc eſt, expletis annis trecentis, ſemper magnas quaſdam res & admodũ inſignes euenire. Poſt Alexandrum enim, inquit, annis trecentis apparuit Arelaſor filius Bel qui Perſas contriuit: & proximè poſt tranſactis alijs trecentis annis apparuit Ieſus magiſter & dux Chriſtianorũ. O turpem ἀνιστορησίαν, O incredibilem temporum inſcitiam. nam nec tunc fuit iſte filius Bel qui Perſas fregerit & afflixerit; & Chriſtus Dominus noſter non ſexcentis annis poſt Alexandrum vt iſte mentitur, ſed trecentis duntaxat & viginti annis poſt Alexandri mortem natus eſt. Quamquam quis miretur in hoc lapſum Albumazarem, cum tam inſigniter errauerit in Ptolemæo Mathematico, quem facit vnum de Ptolemæis Ægypti regibus qui poſt Alexandrum Magnum Ægyptijs imperarunt? cum in confeſſo ſit, nec Ptolemæum Mathematicum fuiſſe regem, & cum Hadriano Imperatore floruiſſe, nouiſsimo Ptolemæorum Ægypti regum plus centum & ſexaginta annis poſteriorem. Iactant item Aſtrologi, nullam fuiſſe apud homines vllo tempore mutationem legum, nullius Prophetæ nobilis aduentum, nullam nouę religionis introductionem, nullam magnorum regnorum conuerſionem, denique nullum inſignem & memorabilem caſum aut euentum, quin magna aliqua coniunctio ſyderum, præcipue verò Saturni & Iouis præceſſerit. Hæc, inquiunt, conſtellatio, naſcen-

Aliquot errata circa Chronologiam Albumazarii.

naſcentem orbem initiauit: illa præparauit diluuium: alia Abraam vel Moſem genuit: illa Ieſu aduentum prænuntiauit: alia Mahumeti legem anteceſsit. quæ quàm ſint futilia, commentitia & erroris plena, vel vno hoc argumento conſtare poteſt.

Quã multa peccauerit contra veră Chronographiam Petrus Aliacenſis in ſuis rationibus Aſtrologicis.

Petrus Aliacenſis iſtiuſmodi figmentis ſtultiſsimè credens ac vaniſsimè gaudens, in libro ſuo de Concordia hiſtoriæ & aſtrologiæ, ad id quod ex ſenſu Aſtrologorum proximè docuimus probandum, hoc quaſi fundamẽtum ſupponit: Ab initio mundi vſque ad diluuium fluxiſſe annos bis mille ducentos quadraginta duos: à diluuio autem ad Chriſti Domini aduentum & ortum, ter mille centum & duos annos. hoc poſito, probare nititur quicquid in orbe terrarum valde memorandum & inſigne quocunq; tempore acciderit, eodem tempore magnam aliquam conſtellationem in cœlo apparuiſſe. At enimuero, cum perſpicuè falſa ſit cõputatio annorum qua velut fundamento illorum ratio & doctrina fulcitur, nonné conſequens eſt quæ ducuntur & pendent ex illa computatione eſſe falſa? Etenim ab Adamo ad diluuium, non plus mille ſexcentos quinquaginta ſex annos præteriſſe cõſtat ex ſacris literis; pauciores nempe quàm illi numerant, annis propè ſexcentis: quo fit, vt conſtellationem, quam aiunt iſti fuiſſe in exordio mundi, ſexcentis annis mundum præceſsiſſe neceſſe ſit. Deinde tempus quod inter diluuium interfuit & Chriſti Domini aduentum, ne numerum quidem

bis

bis mille quadringentorum annorum impleuit. Ex quo efficitur vt coniunctio astrorum quam aiunt ducentis annis antegressam diluuium, non nisi sexcentis octogintaquatuor annis post diluuium potuerit existere. Præterea, dicunt quartam coniunctionem maximam fuisse annis nongentis quadraginta duobus post diluuium, sexdecim nimirum annis ante natum Abraam: quem tamen liquet ex sacra Chronologia, ducentis nonagintaduobus annis natum esse post diluuium. quare necesse est, quartam illam coniunctionem sexcentis triginta annis post Abraæ ortum contigisse. Adhæc, notarunt illi sextam coniunctionem magnam ducentos vigintiquinque annos fuisse ante Christum; nimirum falso: nituntur enim supradicta computatione annorum à diluuio ad Christi aduentum, quã nos mendosam esse ostendimus. quin, si veram sequamur Chronologiam, necesse esset sextam illam coniunctionem sexcentis fermè annis post Christi Domini ortum contigisse. Postremò, quàm fuerit Petrus Aliacensis veræ Christianę Chronographiæ rudis & prorsus expers, vel hoc vno indicio manifestum esse potest: affirmat anno ab ortu Christi septingentesimo, ad quod tempus septimam coniunctionem magnam refert, natam esse in Ecclesia pestem Hæreticorum, maxime verò eam quæ fuit Arrianorum, quorum tamen hæresis circa annum Domini trecentesimum exorta, ante sexcentesimum extincta est. Quis igitur tam multas istorum prædictiones nixas mendacissimis

Chro-

Chronologijs, inanes & mendaces esse dubitet?

Sed quid ego falsarum prædictionum exempla colligo, quorum plena est & historia omnium temporum, & referta vita communis? Equidem reor, quàm difficile est prædictiones aliquas Astrologorum de futuris rerum humanarum euentis, etiam casu ac fortuito, veras inuenire; tam facilè reperiri posse innumera eorum prædicta perspicuè falsa, & rebus ipsis euentisque confutata. Scitè dixit Cato, mirari se quod non rideret Aruspex, Aruspicem cum vidisset: quota enim quæque res euenit prædicta ab his? aut si euenit quippiam, quid afferri potest cur non casu id euenerit? Quod de Aruspicibus Cato dixit, id profecto per quam belle quadrat in Astrologos: vt nimirum videri debeat, cum mendaci homini ne verum quidem dicenti credere soleamus, quo modo illis, si vel vnum eorum prædictum verum euasit, simpliciter credamus; & non ex multis potius falsis vni fidem derogemus, quàm ex vno quod casu verum euenit velimus innumerabilia falsa confirmare. Verùm dicet aliquis, Astrologos nonnunquam esse veridicos, & ea prædicere quæ rei confirmet euentus. prædicunt sanè; sed inconsultè, inscienter, temerè. quis enim est qui totam diem iaculans, non aliquando collimet? Verisimè dici potest de Astrologis, quod olim dixit quidam de oraculis Apollinis; quæ vera fuissent memoria teneri & prædicari; quæ autem falsa, neminem recordari, aut

Lepidum Catonis dictum & refert Cic. lib. 2. de Diuinatione, in Astrologos bellè competens.

Notet hoc Lector.

di, aut taceri ab omnibus. nam qui veritatem illorum oraculorum defendebant, pauca quædam vera crebro sermone vsurpabant, pleraq; falsa silentio premebant. qui autem omnia cõtemnebant, nec vera nec falsa curabant. Sed causas cur prædicta Chaldæorum sæpè vera esse videantur, extrema hac disputatione aperiemus.

20. *Astromantiam omni tempore à viris sapientibus, & prudentibus esse contemptam & damnatam.*

Septima ratio.

Septima Ratio. Si hæc diuinatrix astrologia vera esset & certa, sine dubitatione vlla pars esset philosophiæ omnium nobilissima & hominibus optatissima atque honoratissima: tum propter materiæ quam tractat, cœlum dico & sydera, dignitatem atque præstantiam: tum propter futurarum rerum, potissimè autem vitæ hominum & mortis casuum & euentorum prænotionem, quas res noscendi auidissimi sunt & curiosissimi mortales. at cum ea doctrina omni tempore à præstantissimis quibusque Philosophis, quinetiam Astrologis, cõtempta, derisa & damnata fuerit; maximum profecto argumentum est, eam futilem & inanem, & ab omni ratione, fide ac probabilitate vacuam ab illis esse iudicatam. Xenophon in libro de dictis Socratis, quod etiam refert Eusebius lib. 14. de Præparatione Euangelica, capite 4. tradit Socratem dicere solitum, cognitionem futurarum rerum quæ in potestate Dei sunt, non esse

esse hominibus procurandam : neque enim posse homines eas res cognoscere, nec Deo gratum esse, si quæ ille occultauit, ea mortales velint nimis studiosè curioseq; rimari. Pythagoras, Democritus & Plato longissimis peregrinationibus susceptis, Persarum magos, sapientes Chaldæorum, Ægyptiorumq; sacerdotes adierunt; à quibus occultiora quædam vel ad disciplinas mathematicas, vel ad religionem cultumq; deorum pertinentia cognouerunt; diuinatricem autem astrologiam, vel discere ab illis neglexerunt, vel si eam quoque didicerunt, certè nūquam ea vsos esse ipsos, ex eorum scriptis manifestè perspicitur.

Xenophon. Socrates.

Pythagoras.

Democritus.

Plato.

Aristoteles. Aristoteles, qui vir & qūantus? quàm solers, quàm subtilis & copiosus in doctrina rerū cœlestium? quam cum aliquot libris diligenter explicuerit, nusquam tamen de istiusmodi Astrologia verbum vllum fecit. Cum autem in libris Meteororum, & de Partibus atque Generatione animalium, præsertim autem in libro Problematum, multarum rerum obscurarum & admirabilium causas perquirat; ad nullius quæstionis enodationem vel admirandi cuiusquam effectus explicationem, istius astrologiæ opera & præsidio est vsus. Quin, multa sunt in eius scriptis quæ istam Astrologorum doctrinam omnino conuellant; veluti est illud, Futurorum contingentium nō esse certam & definitam veritatem : Quæ per accidens quæque rarò vel ad vtrumlibet contingunt, non posse scientia comprehendi : Versari in rebus humanis casum & fortu-

Sententia Aristotelis, quæ Astromantiam è medio tollunt.

fortunam quæ fugiant certam hominis intelligentiam: Particularium & corruptibilium effectuum causas proximas & proprias esse particulares atque corruptibiles, ob idque ad perfectam eorum cognitionem non satis esse cœlestes & vniuersales causas contemplari: Cœlum non aliter agere in ea quæ sunt infra lunam, nisi per motum & lumen. Nec vsquam ferè indicauit Aristoteles præter solem & lunam, vim & efficientiam aliorum syderum. illud quoque docuit decretis Astrologorum valde contrarium, cœlestia signa etiam corporeorum & sensibilium effectuum, per alias causas auerti & impediri posse.

Cicero libro 2. de Diuinatione, laudat Eudoxum ætate Platonis & Aristotelis principem Astrologorum: item Panætium Stoicum, Archelaum etiam & Cassandrum, ac Scylacem Halicarnasseum, Astrologorum sui temporis nobilissimos, qui totam hanc rationem Astrologiæ repudiarunt. Auicenna qui post Hippocratem & Galenum principatum medicinæ obtinet, libro vltimo primæ Philosophiæ negat Astrologis esse credendum in diuinatione futurorum, quia ipsi nec puncta cœlestia teneant, neque naturas rerum inferiorum planè necessarias ad faciendum iudicium de rebus futuris, perspectas habeant; neque nitantur demonstrationibus sed probationibus oratorijs & poëticis. Ptolomæus, quem isti huius artis principem & ducem sequi se dicunt, in libro primo de Iudicijs, cap. 2. Non est, inquit, putandum, omnia à

Eudoxus.
Panætius.
Auicenna.
Ptolemæus.

ſupernis cauſis directo deriuari neceſsitate quadam inuiolabili, vt nulla alia vis quin ita operentur, obſiſtere valeat. Idem tractatu ſuo quem vulgo appellant Centiloquium, hoc eſt, Centum ſententiarum, prima eius ſententia ſic habet, Soli numine diuino afflati prædicunt futura particularia. Quinta verò ſententia huiusmodi eſt, Poteſt is qui ſciens eſt, multos ſtellarum effectus auertere quando naturam earum nouerit, ac ſeipſum ante illorum euentum ritè præparauerit. vnde manauit illa multorum ſermonibus trita ſententia, Sapiens dominabitur aſtris. *Porphyr.* Porphyrius in libro de Oraculis confeſſus eſt, exquiſitam rerum futurarum ſcientiam ex inſpectione ſyderum, non mortalibus modò, ſed multis etiam deorum eſſe incomprehenſibilem. *Plotinus.* Idem in vita Plotini ſcribit, eum, cum in iſta aſtrologia ſatis multum temporis, ſtudij, & operæ poſuiſſet, deprehẽdiſſe tandem, Aſtrologorum iudicijs & diuinationi futurarum rerum non eſſe credendum; eamqúe diuinationem tum ſermonibus tum ſcriptis confutauiſſe. quod manifeſtum eſt cuiuis legenti eius libros de Fato & de Prouidentia, maxime verò eum qui inſcriptus eſt, An ſtellæ aliquid agant.

21. *Cui generi hominum prædictiones Aſtrologorum arrideant & probentur, quas S. Ambroſius comparat telis aranearum.*

SI hæc porrò Aſtrologia vera eſſet & certa, plurimum ſanè adiumenti afferret, prouiſione futuro-

futurorum, ad bene regendam & administrandam rempublicam, ob eamqúe causam magno in honore & gloria fuissent Astrologi apud Reges & rerum publicarum Principes: at contra prorsus euenit; nam seueriſsimis multorum Principum decretis & edictis explosam & damnatam & grauiſsimis supplicijs addictam eam artem inuenimus. Quoties Astrologi seu Chaldæi Roma electi sunt principe Tiberio, Vitellio, Diocletiano, Constantino, Theodosio, Valentiniano, præsertim autem Iustiniano; quibus huius artis studium & exercitatio, nõ solum vt inanis & veritatis expers iudicata est, sed etiam vt ciuitatibus & societati hominum noxia & pestilens, semper visa est detestabilis? Sed quid attinet in re manifesta, quæ turbam testium non desiderat, longiorem orationem ponere? Audeo dicere, post hominum memoriam vix fuisse quenquam vllo tempore vel magnitudine ingenij, vel præstantia doctrinæ, vel prudentiæ ciuilis excellentia, vel eximia morum integritate, vel denique insigni aliquo nobilem ac memorabilem virum, qui natalitia Chaldæorum prædicta non quasi meras nugas & quisquilias floccifecerit, penitusq; contempserit. Vulgus modo stolidum, ad intelligendum hebes, infirmum ad iudicandum, facilè credulum, & noua miraq; audiendi & noscendi curiosum, istis nugatoribus & aures & fidem libenter adhibet. Gaudent etiam hisce commẽtis leuissima quædam ingenia lucri magis quàm veritatis cupida, in republica literarum turbulenta ac seditiosa,

Professores diuinandæ futura ex astris, publicis multorũ Principũ decretis esse ciuitatibus electos.

Cui generi hominum prædictiones Astrologorum arrideant & probentur.

& ſapiẽtiæ optimatibus ſemper infenſa, rerumque vtilium & alijs notarum faſtidioſa, nouarum autem & ignotarum, atque adeo etiam incomprehenſibilium auidiſsima: denique quibus non tam cordi & curæ eſt vera noſſe, quàm videri vulgo ea ipſos ſcire quæ ſummi philoſophiæ antiſtites neſcire ſe confitentur.

B. Ambroſius prædictiones Aſtrologorũ comparat telæ araneæ.

Hanc rationem egregio S. Ambroſij dicto concludam. Ita ſcribit Ambroſius libro 4. in Hexameron, cap. 4. Sapientia Chaldæorum telæ araneæ comparatur, in quam ſi culex aut muſca inciderit, exuere ſe non poteſt: ſi verò validiorum animantium vllum genus incurriſſe viſum eſt, pertranſiuit, & caſſes rupit, infirmos atque inanes laqueos diſsipauit. Talia ſunt retia Chaldæorum, vt in his infirmi hæreant, validiores ſenſu, offenſionem habere non poſsint. Itaque vos qui validiores eſtis, cùm videritis Mathematicos, dicite: Telam araneæ texunt quæ nec vſum aliquem poteſt habere, nec vincula, ſi tu non quaſi culex aut muſca lapſu tuæ infirmitatis incurras, ſed quaſi paſſer aut columba caſſes inualidos præpetis volatus celeritate diſſoluas.

22. *Diſputatur contra tria fundamenta Aſtrologiæ Iudiciariæ.*

Octaua ratio.

OCTAVA RATIO. Fundamenta & firmamenta huius artis, aut nulla ſunt aut certè infirmiſsima & fragiliſsima: hæc igitur ars nulla ratione firma & ſtabili vtitur ad diuinandum; quamobrem nullam quoque apud homines auctorita-

ſtoritatem, fidem, ac probabilitatem habere debet. Primum fundamentum iſtius doctrinæ eſt, aſtra habere qualitates omnes elementorum; partim enim eſſe frigida, partim humida & ſicca, ſi non formaliter ſaltem virtualiter, hoc eſt, ſi non actu ſaltem effectu, ſi non in ſe habendo eas qualitates, certè habendo facultates earum qualitatum effectrices: Saturnum aiunt eſſe frigidum, Martem ſiccum, Lunam humidam. Verùm hoc, & ratio confutat & experientia. Ratio quidem, quoniam ſicut aſtra omnia ſunt lucida & ex ſe lucem fundunt, ita quoque calida eſſe omnia & calefacere neceſſe eſt: lux enim, non ſicut omnis per ſe calefacit, ita frigefacere aut per ſe humectare vel exſiccare poteſt. Stemus decretis Aſtrologorum aientium, vt Lunam, itidem cætera ſydera luce à ſole mutuata fulgere. Si igitur omnium aſtrorum vna eſt eademque lucis origo & ratio; quî poteſt eſſe tam multiplex, diſsimilis atque diſcrepans ratio & poteſtas agendi? Experientia item hoc ipſum redarguit: in plenilunio enim, cum eſt lumen Lunæ pleniſsimum, noctes quoque, Ariſtotele & experientia teſte, calidiores exiſtunt. Sed Aſtrologi præter lucem, alias in cœlo & ſyderibus vires atque facultates, & à luce & inter ſe multùm diuerſas, mirandorumq; operum cauſas, quas influentias appellant, commenti ſunt. Nouitium ſanè inuentum; nulli veterum vel Philoſophorum vel Aſtrologorũ vnquam probatum: ac ſi licet ex eorum ſcriptis coniecturam facere, ne notum quidem illis. Poſtquam

Ariſtotelet. Non eſſe ponendas in cœlo influentias.

verò à recentioribus Aſtrologis influentiæ inuentæ & palàm probatæ, ab alijs quoque doceri & defendi cœptæ ſunt, quis ex Lyceo paulo grauior & probatior Philoſophus non eas repudiauit atque damnauit? Feſtiuè quidam Aſylum ignorantiæ eas appellauit: ad influentias enim quaſi ad vnicum perfugium ſeſe recipiunt, & hanc ſe in latebram conijciunt, quicunque mirabilium effectuum proprias & naturales cauſas, vulgaribus ingenijs nec in Philoſophia exercitatis occultas, ſolerter inueſtigare ac reperire non poſſunt. Et verò, ſi admittuntur influentię, vix dici poteſt quantoperè debilitetur robur Philoſophiæ, deteratur eius dignitas, auctoritas eleuetur, minuatur exiſtimatio, denique ſtudium eius apud homines cultusq; langueſcat. Quid enim attinet in occultis rerum cauſis perquirendis & eruendis præclara ingenia Philoſophorum tanto ſtudio & conatu laborare, cùm in procliui ſit, cuiuſlibet effectus ex cœleſtibus influentijs rationem petere & afferre? quis enim effectus eſt, cuius naturalis & vera cauſa paulo obſcurior & abſtruſior eſt, quem non per iſtiuſmodi influentias nullo negocio liceat explicare? Cur magnes ferrum ad ſe rapit? confeſtim reſpondebitur, quia propria eius influentia cœleſtis eam illi virtutem indidit. Vnde Remora tantulus piſcis vim habet ſiſtendi incitatiſsimum nauigium? in promptu eſt reſponſio, nimirum à cœleſti quadam influentia, quæ tanta piſciculum illum vi ac poteſtate roborauit. Quid moror? nullum erit problema, nihil in

natura

natura rerum adeo reconditum & ab intelligentia noſtra remotum, denique nihil de his quorum perueſtigatio ſummorum Philoſophorum ingenia fatigauit & torſit, quod non quiuis è circulo Aſtrologorum & indoctorum hominum vno verbo, ſcilicet per iſtas influentias expedire queat.

Verùm labor equidem longius: reuertar igitur ad propoſitum. Si Saturnus quia lucidus eſt, per lucem calefacit, quomodo idem per influentiam frigefacit? nónne abſurdum eſt in eodem aſtro duas eſſe facultates, vnam calefaciendi, alteram frigefaciendi, non diuerſas modo ſed etiam aduerſas & contrarias? cernimus ita eſſe natura comparatum, vt omnibus in rebus in quibus duæ inſunt differentiæ vel proprietates (vt more philoſophico loquar) vna generalis & quæ vni rei communis eſt cum alijs multis, altera ſpecialis & propria eius rei (cuiuſmodi ſunt in homine ſentiẽtem eſſe & rationalem) vt ſemper differentia & proprietas ſpecialis, nobilior & perfectior ſit generali, vt quæ illam cõtrahit & determinat, nouæ perfectionis gradum & rationem ipſi adiungens: ſicut patet in prædicto exemplo hominis, in quo rationale nobilius eſt quàm ſentiens. At contra omninò ſe habet res in hac mirabili Aſtrologorum doctrina. Etenim docent ipſi, in Saturno, exempli cauſa, duas eſſe proprietates ſeu facultates agendi, vnam generalem & communem ei cum omnibus aſtris quæ eſt vis illuminandi & per illuminationem calefaciendi: alteram ſpecialem &

Argumentatio contra influentias.

propriam Saturni, qua ratione differt ab alijs aſtris, quæ eſt facultas frigefaciendi, vel aliqua alia vis alicuius influentiæ. Certum autem eſt, lucem cœleſtem multo nobiliorem eſſe quacumque alia qualitate cœleſti, & facultatem calefaciendi præſtantiorem eſſe facultate refrigerandi. Præterea, duas eſſe in re quapiam facultates & proprietates ei rei naturales, quarum altera, vt diximus, ſit generalis, altera particularis, inter ſe contrarias, quales ſunt in Saturno ſecundum iſtos poteſtas calefaciendi per lucem & refrigerandi per influentiam; nec fert natura rerum, & id fieri non poſſe ratio ipſa decernit. Nam vt in corpore multiformi & quod Græci vocant Heterogeneum, ſecundum diuerſas partes ineſſe queant contrariæ qualitates & facultates, quemadmodum contingit corpori humano in cerebro & in corde; id tamen conuenire non poteſt in aſtrum Saturni quod eſt ſecundum omnes partes vnius formæ ac naturæ: neque enim vna pars eius habet lucem, altera verò influentiam, ſed vt totum eſt præditum luce, ita conuenit in eo toto eſſe influentiam. Ne multa (non enim conſentaneum eſt alieno loco de Influentijs aduerſus Aſtrologos ſubtiliter diſputare) ſatis argumenti eſt ad tollendas influentias omnium quæ in natura rerum efficiuntur, tametſi noua, ſingularia, & mirabilia videantur; veras, naturales & proprias cauſas, atque rationes ex duobus principijs cœleſtibus quę omnibus ſunt conſpicua & experimentis quotidianis explorata, motum dico & lucem, plene cumulateq;

ac

ac probabiliſsimè peti & duci poſſe. Figuras porro & effigies ſtellarum quas deſignant Aſtrologi in Zodiaco, ſimilitudinem reddentes quorundam animalium vel hominum, magnã vim habere in ortu cuiuſque cenſent Aſtrologi; cùm tamen per ſe ac natura ſua non ſint tales, ſed ſola eorum imaginatione cõſtent, ab ipſis eo modo confictæ & figuratæ: poſſent enim fingi etiam ad ſimilitudinem aliorum animalium, domuum, turrium, menſarum, aliarumué rerum. quare valde friuolum & ridiculum eſt, in eiusmodi figuris quicquam momenti ad diuinandum eſſe poſitum exiſtimare.

23. *Vtrum aſtra natalitia cuiuſquam poſſint eſſe certæ cauſæ omnium quæ ei euentura ſunt.*

Alterum Aſtromantiæ fundamentum.

SECVNDVM fundamentum Aſtrologorum eſt; natalitia cuiuſq; aſtra eſſe obſeruanda: ex his enim omnes vitæ caſus & euentus prouideri & prænotari poſſe. Sed quis non videt fundamentum hoc eſſe infirmiſsimum? cur enim Aſtrologi non potius obſeruét tempus, & cœli atque ſyderum ſtatum quo quiſque in vtero cõceptus, formatus & animatus eſt? cum in eo plus momenti eſſe videatur ad diuinandum: quippe tunc primum exiſtit homo, & tunc primum vis cœleſtis in homine recipitur & imprimitur: Etenim, ante ortum per nouem menſes quiſque fuit in vtero, poteſtati & actioni cœlorum ſubiectus. Cur item non cõſiderant Aſtrologi alias conſtellationes & defluxus cœleſtes,

Quàm inaneſit, natalitia cuiusque hominis aſtra obſeruare ad diuinãdum.

qui contingunt homini ſæpius poſt ortum? Cum plerumque vſu veniat vt illæ virtutes cœleſtes inſigniores ſint effectu, & valẽtiores ad immutãdum hominem, quàm quæ tempore ortus eius fuerunt: effectum enim illum & defluxum aſtrorum naſcenti homini impreſſum, neceſſe eſt variari cõmutata ſæpius humani corporis temperatione, vel ob alias potentes conſtellationes, vel ob educationem, vel ob variam viuendi cõſuetudinem & rationem, vel ob leges patrias ad quarum normam cogitur quiſque vitam, mores, ſtudia, & actiones conformare. Quid quod fortaſſe nihil illius materiæ primigeniæ quam quiſque in ortu habuit, reliquum ſit in extrema ætate? hoc enim viſum eſt & multis & magnis Philoſophis: nec S. Thomas in 1. par. quæſt. vlt. art. 1. abnuere videtur. Quo conceſſo, vis illius primi defluxus & effectus cœleſtis in ortu hominis ei indita & impreſſa, neceſſariò tandem euaneſcet tota, niſi fingat quiſpiam eiuſmodi virtutem cœleſtem migrare ex ſubiecto in ſubiectum, tanquam ex domo in domum mutando domicilia: aut cum præſentit interitum ſuum, aliam pro ſe ſui ſimilem & quaſi vicariam virtutem ſubſtituere.

An aliquid primigeniæ materiæ hominis maneat per totam vitam.

S. Thomas.

24. *Vtrum ſit plus momenti in conceptu hominis, quàm in eius ortu, ad diuinãdum.*

PLVS autem eſſe ponderis, aut certè non minus, in conceptu hominis quàm in ortu, magiſter iſtorum Ptolemæus locuples teſtis eſt. Is enim in tertio Apoteleſmatum ita ſcribit: Cum prin-

Ptolemæus.

principium temporale hominis aliquod ſtatuatur; natura quidem & per ſe illud erit principium, cum ſemen vtero genitali admittitur; potentia verò & ſecundum accidens cum hora partus infans egreditur. Qui igitur horam admiſsi ſeminis vel caſu vel obſeruatione deprehendit, illam ſequi potius debet in proprietatibus corporis & animi dignoſcendis, conſiderando quæ ſint eo tempore ſtellarum configurationes. cum enim ſemel à principio ſemen ex ambientis aëris affectione, certa qualitate diſponitur, licet per conſequentis conformationis tempora varietur, quoniam tamen propriam cognatamq; materiam naturaliter ſibi aſciſcit, magis etiam primæ ſuæ qualitatis diſpoſitioni aſsimilabitur. Hæc inibi Ptolemæus. Quibus verbis non obſcurè docet, primum & naturale atque efficaciſsimum hominis principium, eſſe ſeminis admiſsionem hominisq; conceptum; atque huic principio potiſsimè inſiſtendum & inhærendum eſſe ad prænoſcendas hominum affectiones & euentus, tam qui ad corpus quàm qui ad animam pertinent. Sed quia benè nouerat Ptolemæus, punctum illud temporis vel admiſsi ſeminis, vel conceptus, vix cognoſci poſſe ab Aſtrologis; ne illorum iudicia & diuinationes quas ipſi ducũt ex ortu hominis infirmare videretur, mox ſubiecit, Qui autem horam ignorant principij ſeminalis, eos neceſſe eſt ſequi principium natiuitatis. Haly nobilis Aſtrologus in eo libro quem ſcripſit de Electionibus, ingenue fatetur, efficaciam decernendi Fatum homi- *Haly.*

hominis esse in hora conceptionis: sed quia hæc nescitur ab Astrologis, propterea eos ad horam natiuitatis confugisse. Quin cum Astrologi premuntur argumento Geminorum, quorum cum idem sit ortus, dispar tamen euentus & exitus est; respondere solent diuersitatem euentuum qui sunt in Geminis, ex diuersitate conceptus eorum esse profectam.

25. *De vanitate Astrologorum diuinationem suam extendentium etiam ad ciuitates, non solùm ad homines.*

SED vide quousque progressa sit istorum audacia & impudentia: etiam vrbium, non hominum modò, facta profitentur hac arte posse prænosci & prænunciari: obseruata enim astrorum compositione quæ fuit cum vrbes conderentur, posse earum casus euentusq; omnes prospici ac prænotari. Fecit hoc in vrbe Roma rogatu Varronis, quidam Tarutius Mathematicus vt in Romulo tradit Plutarchus: quam historiam libro 2. de Diuinatione his verbis Cicero enarrat, Quidam L. Tarutius Firmanus familiaris noster, in primis Chaldæis rationibus eruditus, vrbis etiam nostræ natalem diem repetebat ab ijs Parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus; Romamq;, cum esset in iugo Luna natam esse dicebat, nec eius fata canere dubitabat. O vim maximam erroris. etiamne Vrbis natalis dies ad vim stellarum & lunæ pertinebat? fac in puero referre, ex qua affectione cœli

Tarutius Mathematicus, omnia quæ Vrbi Romæ contigerũt ad vim astrorum, sub qua ea Vrbs à Romulo condita est referebat.

cœli primum ſpiritum duxerit: num hoc in latere aut in cæmento ex quibus Vrbs effecta eſt, potuit valere? Ita Cicero.

26. *Cur obſeruatio aſtrologica non valeat æquè in ſtirpibus & animalibus, quàm in hominibus.*

Verum, quærerem equidem ex iſtis Aſtromanticis, num velint eorum diuinationem etiam in animantibus & ſtirpibus valere vt in homine? Si negent, prodent ſcilicet ſuam inſcitiam; & ſuæ artis infirmitatem, inanitatem atque fallaciam. Cur enim non æqualiter valeat in ſtirpibus atque in homine? immò cur non plus valeat? ſtirpes namque multo magis quàm homo, à cœleſtium corporum poteſtate & efficientia naturali neceſsitate pendent. Et cum minus multa & varia atque incerta ſtirpibus quàm homini ſoleant accidere, facilior profecto eſſe deberet eorum diuinatio, quæ ſtirpibus quàm quæ homini ſunt euentura. Sin verò annuunt, ſimiliter in ſtirpibus vt in hominibus valere aſtrologicam diuinationem; amicè rogare ipſos vt diligentiſsimè obſeruarent ſtatum cœli & aſtrorum, eo videlicet tempore, quo vel prunus, vel ceraſus, vel pyrus fereretur; aut cum ſementis tritici fieret, & ex illa cœli obſeruatione promerent etiam prognoſtica de illis arboribus, ſcilicet vt diuinarent quantam illæ arbores prunorum, ceraſorum, & pyrorum copiam eſſent laturæ: quantus item ex illa tritici ſemente ſpicarum,

carum, & in ſingulis ſpicis quantus granorum numerus eſſet prouenturus. hæc ſi negent à ſe poſſe prænoſci, fateantur etiam neceſſe eſt, non poſſe ab ipſis futuros hominum caſus euẽtusq; prouideri.

27. *De antiquitate iſtius Aſtrologiæ apud Aegyptios & Chaldæos.*

Tertium fundamentum Aſtromantiæ.

TERTIVM fundamẽtum eorundem Aſtrologorum eſt, artem hanc ſuam certiſsimis innumerabilium ſæculorum experimentis, & conſtantiſsimis obſeruationibus eſſe comprobatam. aiunt enim, hanc diſciplinam profectam eſſe ab Ægyptijs & Babylonijs ſeu Chaldæis, mortalium omnium antiquiſsimis. tradit enim *Ariſtotel.* Ariſtoteles in libro 2. de Cœlo, textu 60. & extremo libro 1. Meteororum, Ægyptios omnium hominum vetuſtiſsimos haberi: & in principio operis Metaphyſicorum affirmat, Ægyptios omnium hominum vetuſtiſsimos mathematica ſtudia tractare & colere cœpiſſe. Iactabant etiam olim Aſtrologi, Chaldæos quadringenta & ſeptuaginta annorum millia in periclitandis experiendisq; pueris quicunque naſcerentur, poſuiſſe. Verùm adeo in aperto & in promptu ſunt omnibus iſtorum mendacia, vt à nobis ea vel confutari vel etiam indicari non ſit opus. Etenim ab exordio mundi ad hanc diem, nec dum ſex millia annorum effluxerunt. Ab origine verò gentis Chaldææ, hoc eſt, poſt euerſionem turris Babel, facta nempe linguarum diuiſione, non ſunt adhuc quatuor millia annorum

rũm completa. Picus Mirandulanus in cap. 2. libro 12. aduersus Astrologos, testes ad redarguendam Astrologorum mentitam vetustatem adhibet Hipparchum & Ptolemæum, principes sanè astronomiæ; qui vbi pro dogmate aliquo constituendo veterum obseruationes afferunt, nullas profecto afferũt vetustiores ijs quæ sub Nabuchodonosoro Chaldæorum rege apud Ægyptios & Babylonios fuêre: ab initio autem imperij regis Nabuchodonosori ad præsentem annum qui ab ortu Domini nostri agitur millesimus quingentesimus octogesimus octauus, non plus bis mille ducentos & triginta duos annos præterijsse constat. Porrò commentitiam Ægyptiacarum obseruationum antiquitatem, perbelle ridet & redarguit Augustinus in cap. 40. libro 18. de Ciuitate DEI: ita enim scribit: Frustra vanissima præsumptione garriunt quidam dicentes, ex quo rationem syderum comprehendit Ægyptus, amplius quàm centum annorum millia numerari. In quibus enim libris istum numerum collegerũt, qui non multum ante annorum duo millia literas magistra Iside didicerunt? non enim paruus auctor est in historia Varro qui hoc prodidit. sic Augustinus. Sed huic disputationi in qua octo rationibus probare voluimus diuinationem astrologicam esse contrariam verę philosophię, finem hoc loco statuemus.

Picus Mirandulanus.

Augustinus.

M. Varro.

NON

NON MODO ASTRA NON ESSE causas, sed nec esse signa rerum futurarum.

CAPVT IV.

BEATVS Augustinus lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 1. tradit fuisse opinionem quorundam non mediocriter doctorum hominum, quibus visum est nō esse quidem astra causas humanorum euentuum, sed esse tamen eorum vera & & certa signa.

28. *Vtrum astra, si non sunt causæ, saltem sint certa signa omnium futurorum.*

ORIGENES quidem certè in tomis suis super Genesim, (sic enim memorat Eusebius lib. 6. de Præparatione Euangelica, cap. 9.) cum explanaret verba illa quæ sunt in primo capite libri Geneseos. *Et erunt in signa,* è quibus videlicet verbis huius nostræ disputationis argumentum pertexuimus, prodidit astra esse à Deo posita in cœlo, vt per varios aspectus & coniunctiones præsignificarent quæ consequentibus temporibus tum vniuersè, tum sigillatim euentura essent, non tamen ea efficerent. Itaque cœlum esse dixit velut quendam librum in quo Deus depinxit atque descripsit quæcumque in toto mundani æui decursu, suo quæque tempore futura sunt. Ad hoc probandum, citat Origenes librum quendam cui titulus erat, Narratio Ioseph, olim apud multos in auctoritatem & fidem receptum: in quo Iacob Patriarcha inducitur

Liber, qui inscribebatur Narratio Ioseph,

citur filios suos alloquens hunc in modum, Legi, inquit, in tabulis cœli quæcunque contingẽt vobis & filijs vestris. Plotinus autem condiscipulus Origenis idem sensit, idq; docet in libro qui inscriptus est, Vtrum stellæ aliquid agant: in libro autem de Fato cap. 6. hunc prẽterea stellarum vsum esse tradit, vt qui illas sũspiciant & quasi literas considerent, qui nimirum huiusmodi literaturam nouerunt, futura legant; ex ipsis figuris comparatione quadam analogica, eorum significationem & intellectum solerter indagantes. Quin, Porphyrius affirmat, cum ipse de se interficiendo vehementer cogitaret, Plotinum hoc cælitus prouidisse, & à tanto facinore eum prohibuisse.

ab Origene citatus.

Plotinus.

Porphyrius.

Hanc sententiam Iulius Sirenus libro 9. de Fato, cap. 35. minimè damnandam censet: & quo probabilem esse ostendat, aliquot ex diuina Scriptura productis sententijs, eam ornat atque confirmat. Hoc enim, inquit, non obscurè indicat Esaias cum ait in capite 34. *Complicabuntur sicut liber cœli:* qua oratione significatur, cœlos post diem iudicij conuoluendos esse atque complicandos; quasi nunc cœli instar cuiusdam libri sint explicati & aperti nobis, haud dubie ad legendum. Eodem pertinet illud quod est in Psalmo 21. *Annunciabunt cœli iustitiam eius*, & in Psalmo 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*, & quod est in primo capite libri Geneseos de stellis, *Vt sint in signa*, & in Psalmo 88. *Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine.* Nec verò, inquit Origenes,

Iulius Sirenus.

Origenes. genes, hæc opinatio tollit liberum hominis arbitrium, non magis profecto quàm prædicta futurarũ rerum à sanctis Prophetis edita, vel præ-
Plotinus. scientia omnium rerum quæ est in Deo. Plotinus scientiam astrorum ea ratione vt astra signa sunt humanorum euentuum, contingere homini aiebat vel singulari quodam Dei munere, vel propter eximiam astrologiæ peritiam; ad eam enim comparandam, opus esse acerrima indagatione, summaq; solertia.

Iulius Sirenus. Iulius autem Sirenus ne Augustinum quidem ab hac opinione abhorruisse putat: quippe in 2. libro contra Manichæos, cap. 21. cum is ageret de hominibus, quorum dum sunt in corpore mortali occulta sunt corda, ita scribit: Neq; enim in illis corporibus cœlestibus sic latere posse cogitationes credendum est, quemadmodum in his corporibus latent, sed sicut nonnulli motus animorum apparent in vultu, & maximè in oculis; sic in illa perspicuitate ac simplicitate cœlestium corporum omnes omninò motus animi latere non arbitror. Hæc ibi Augustinus.

29. *Vtrum secundum Augustinum astra sint signa omnium rerum humanarum.*

Excutitur locus Augustini. VERVM, si quis locum hunc non prorsus inconsideratè legat, planè comperiet Augustinum per cœlestia corpora non intelligere orbes cœlestes, sed corpora beatorum hominum, post resurrectionem cœlesti gloria & immortalitate donata; & ponere eum discrimen inter homines in hisce caducis corporibus viuentes, & eosdem

dem post resurrectionem in glorificatis corporibus immortalem & beatam vitam agentes: quòd illi arcana cordium multiplici simulatione callidè tegant & occultent, ideoq; sæpè alios fallant: in his verò manifesta erunt omnium corda omnibus, omnisque prorsus aberit simulatio, fictio atque deceptio. Atque hunc esse verborum Augustini germanum intellectum, ex proximè consequentibus eius verbis palàm est: hæc enim subtexuit, Itaque illi merebuntur habitationem illam, & commutationem in angelicam formam, qui etiam in hac vita cum possint sub tunicis pelliceis occultare mendacia, oderunt tamen ea, & cauent flagrantissimo amore veritatis; & hoc solum tegunt quod ij qui audiunt ferre non possunt, sed nulla mentiuntur. Veniet enim tempus, vt nihil etiam contegatur, Nihil est enim occultum quod non manifestabitur. sic Augustinus. Quare cum Augustinus satis explicatè & apertè loquatur de corporibus hominum glorificatis, non autem de cœlis vel astris; demiror sanè Iulium Sirenum tam incogitanter & oscitanter legisse hunc locum, vt propter eum maximè, Augustino affinxerit huiusmodi sententiam, cuius nec vllum eo loci vestigium apparet, & extat apud eundem in libro 5. de Ciuitate Dei copiosa & grauis confutatio.

30. *De natura & varietate signorum.*

Ceterum, astra esse signa rerum futurarum, censeo equidem non solum esse alienum à *Astrorum esse certa*

signa rerū futurarū.

vera philoſophia, ſed etiam ſacris literis contrarium. Ac licet complures earum rationum quas ſuperiori capite tractauimus, etiam valeant ad hoc probandum; nouis tamen aliquot argumẽtis quæ propriè eiuſmodi ſententiam refellant, hoc loco vtendum eſt. Principio, quod eſt naturale ſignum alicuius rei, id vel eius rei cauſam vel effectum eſſe, vel vtrumque ab eadem ſuperiori & communi cauſa proficiſci neceſſe eſt. nam quod, præter hæc, quartum membrum fingi poſſet, videlicet, vt illud ſignum neceſſariò ſit coniunctum cum cauſa rei ab illo ſignificatæ, id non eſt diuerſum à tertio membro: talis enim connexio & coniunctio non aliter eſſe poteſt, quàm vt cauſa illa prius ex ſe pariat id quod eſt ſignum: deinde id quod eſt ſignatum; aut vt idem quod cauſam excitat vel admouet ad agendum, ſimul etiam adhibeat & applicet id quod eſt ſignum ad præſignificandum: vtrumque autem horum ad communem cauſam refertur. Hinc igitur argumentari licet ad hunc modum: Si cœli & ſydera ſunt ſigna omnium rerum ſublunarium, vel ſunt earum rerum cauſa, ſed hoc negat iſta opinio: vel ſunt effectus, quod nec illi dicent, nec vllus hominum ſanæ mentis audebit dicere: aut, quod tantummodo reliquum eſt, tam cœleſtia quàm ſublunaria ab eadem ſuperiori & communi cauſa proueniunt: quemadmodum Iris ſignum eſt ſerenitatis, non quia ſit eius cauſa vel effectus, ſed quia eadem eſt communis vtriuſque cauſa. At cauſam communem cœleſtium corporum & ſubluna-

lunarium, neceſſe eſt eſſe vel corpoream vel incorpoream: corpoream quidem nullam, opinor, ponent iſti, nullum enim corpus ſuperius cœlis eſt: relinquitur igitur vt omnia referant ad cauſam incorpoream, hoc eſt, vel Deum vel Angelos qui mouent cœlos: ita vt, dum Angeli cœlos mouent, in ipſorum cœlorum ſtatu habituqúe, & in ſyderum poſitu & conformatione, quaſi quibuſdam ſuis nutibus, & tanquam notis atque ſignis inibi deſcriptis euéta rerum humanarum prænotent atque præmonſtrent. At enimuero id multis de cauſis non eſt credibile. Etenim qui ſic opinantur, fateri eos oportet induci homines ab Angelis ad maxima ſcelera & execranda flagitia.

AD hoc, Philoſophia docet, necnon & Theologia idem tradit; Angelorum nullam eſſe actionem quam vocant tranſeuntem, & quæ proximè ab ipſis prouenit, aliam quam motum localem; nec Angelos poſſe quicquam proximè agere, præterquam mouere motu locali. Angelos verò qui circumuoluunt orbes cœleſtes, nõ aliter circa res ſublunares operari cenſent Philoſophi & Theologi, quàm per motum & lumen cœli; nam influentias à lumine omninò diuerſas paulò ſuperius ſuſtulimus. Per motum autem & lumen cœli, omnes futuros effectus rerum ſublunarium, clare diſtinctè certoq; prę-monſtrari, nemo dicet qui veriſimilia & credibilia loqui velit. Deinde, cum eiuſdem cauſæ duo effectus ſe inuicem neceſſariò indicant, vt ab eadem cauſa, ſic eodem quoque modo ab il-

la prouenire debent : alioquin fieri non poteſt vt ſe inuicem certò indicent : à Deo autem & Angelis quæ in corporibus cœleſtibus fiunt, ea neceſſariò & inuariabiliter ſe habent : quæ autem in his quæ ſunt infra lunam, valde mutabiliter, & vt ita loquar, defectibiliter contingunt.

Hinc alia quoque ſubtexuntur argumenta. Etenim, quomodo aſtra quæ ſunt certo numero comprehenſa, & ſemper vniuſmodi & neceſſariò ac immutabiliter ita ſe habent, ſigna eſſe poſſunt omnium rerum futurarum, quæ propemodum infinitæ ſunt multitudine ac varietate, & inter ſe plurimum differentes atque diſcrepantes? quomodo eadem ſyderum poſitura & conformatio, ſub qua vel Gemini, vel alij quamplurimi eodem puncto temporis naſcuntur, poteſt eſſe certum ſignum propriè & diſtinctè præſignificans tot tamque varios ac diſſimiles caſus & euentus qui in illis cernuntur? quare, ſi aſtra ſunt ſigna rerum futurarum, earundem quoque cauſas eſſe fatendum eſt : quod ſi cauſas eſſe negamus, etiam ſigna eſſe negandum eſt.

31. *An Cometæ ſigna ſint humanarum rerum.*

DICES, cometas qui in ſublimi aëre generantur, ſigna eſſe quæ inſignes admodum caſus futuros portendant, quorum tamen cometæ nec cauſæ ſint nec effectus : quare idem quoque aſtris accidere reſpectu rerum ſublunariũ, non eſſe incredibile. At ego, cometas certa ſigna humano-

manorum casuum & euētuum nunquam concedam, licet hoc tam vulgo persuasum sit, quàm est à Sapientibus improbatum. Quod si hoc, cum vulgo consentiens opinarer, dicerem cometas à stellis rerum futurarum effectricibus excitari, vt eas res antegressi præmonstrent. De stellis autem secus est, his enim nulla est corporea causa superior.

32. *An qui astra faciunt signa rerum futurarum, simul etiam necessariò inducant & astruant Fatum.*

SED quid multis moror? coguntur istius opinionis Auctores, quanquam id minimè velint, Fati necessitatem inducere: & sanè, magis etiam quàm qui stellas faciūt causas rerum sublunarium. Etenim, vt stellæ causæ sint eorum quæ fiunt infra lunam, non ideo tamen Fati necessitas existet; quod enim illarum afflatu defluxuqúe in terris esset efficiendum, id posset vel contrarijs materiæ affectionibus, vel obstantibus causis particularibus impediri. At si astra naturaliter futurarum rerum signa sunt, omninò euenire necessarium est quod ab illis significatur: alioquin essent signa inania & fallacia. Et cum Deus ea instituisset ad significandum, & in cœlo tanquam in quodam volumine ea descripsisset veluti notas futurarum rerum indices; si euentus rerum cum illarum significationibus non congruerent, vel Deus earum auctor & institutor ignorans esset futurorum euentuum,

vel fallax. Denique, ſi aſtra præſignificant quæ futura ſunt; aut præmonſtrant quæ facienda ſunt à cauſis particularibus, non quidem omnibus ſed aliquibus tantùm: ſed hoc improbabile eſt ac figmenti ſimile; cur enim ſtellæ prænotent futuros effectus aliquarum particularium cauſarum potius quàm aliarum, vel cur non ſimiliter præmonſtrent omnes, cum omnium ſimilis ratio ſit? aut ſtellæ præſignificant omnes futuros effectus cauſarum omnium particularium: hoc ſi eſt, nullę profecto reliquæ fient cauſæ per quas quo minus eueniat quod à ſtellis præſignificatur, impediri & prohiberi queat. Ex quo fit neceſſariò, vt omnia quæ infra Lunam fiunt, immutabili neceſsitate Fati nexa vinctaque teneantur: quod nec iſtius ſententię defenſores ſentiunt, & id ſentire impium eſt.

Explicatur locus Iſaiæ ex cap. 34.

Teſtimonium autem illud Eſaiæ productum ex 34. capite, *Cœli ſicut libri complicabuntur*: quod inter cętera Scripturæ teſtimonia paulò ſuperius commemorata, ſolum habere aliquid difficultatis, & nonnihil negotij faceſſere videtur; variè interpretatum reperio: ita tamen, vt nulla interpretatio quæ modo vel probati ſit Auctoris, vel ſit ipſa probabilis, quicquam illi ſententiæ ſuffragetur. Iuſtinus martyr reſpondens ad quæſtionem nonageſimam quartam Orthodoxorum, qua quærebatur quemadmodum intelligendum eſſet quod dicitur ab Eſaia, fore vt cœlum aliquando velut liber complicaretur, ſic ait; Quemadmodum cœli creationem diuinæ literæ per ſimilitudinem conferunt aliquando

Iuſtinus martyr.

cum

eum pellis extenſione, dicentes: *Qui extendit cælum ſicut pellem*, aliquando cum firmato fumo, *Cælum*, inquit, *ceu fumus firmatum eſt*, aliquando cum rotunditate cameræ, *Qui extendit*, inquit, *cælum velut cameram*: Sic è diuerſo, cœli diſſolutionem per comparationem conferunt cum alijs rebus, vt apud Eſaiam cum volumine inuoluendo & implicando, ſicut apud Dauidem Pſalmo 101. cum veſtimento veteraſcente & commutando. Sic Iuſtinus. Hieronymus verò ſuper illis verbis hæc ſcribit, Conſiderandum, quod non dicat interire cœlos, ſed replicari ſiue complicari quaſi librum; vt poſtquam omnia peccata aperta fuerint & relecta, complicentur qui prius aperti fuerant, vt nequaquam vltra ſcribantur in eis delicta multorum. In Scriptura enim dicuntur cœli annunciare iuſtitiam DEI, reuelare iram eius, & probare ac teſtificari hominum ſcelera.

Pſal. 101.

Eſaiæ 51. iuxta 70. Interpretes.

Eſaiæ 40. iuxta 70. Interpretes.

Beatus Hieronymus.

Sanctus Thomas & Nicolaus de Lyra aliter exponunt: Complicabuntur, inquiunt, cœli tanquam liber, hoc eſt, non exercebunt vltra Ethnici aſtromantiam ſuam; nec poſthac ex aſtris diuinare audebunt euenta hominum, quaſi legerent in ſyderibus deſcriptos caſus & euentus futuros. Alij ſic interpretantur: Non patebit amplius introitus in regnum cœlorum, ſed ianua cœleſtis clauſa erit. Sunt etiam qui explanent hoc modo, Miniſterium & vſus cœlorum atq; ſyderum exhibitus homini ante diem iudicij, poſtea eſſe deſinet: nam licet non pror-

B. Thomas. Lyranus.

ſus interibunt cœli, alio tamen ſtatu erunt, & quibus nunc funguntur miniſterijs & obſequijs hominum cauſa, ab illis poſt diem iudicij quoquo modo vacabunt: quæ vacatio pulchrè declaratur ab Iſaia ſimilitudine libri, quem poſteaquam eo vſi ſumus, nec amplius nobis vſui futurus eſt, complicare & claudere ſolemus.

Nec diſplicet mihi interpretatio eorum qui aiunt, illa ſimilitudine declarari; tantam fore diuinæ iræ & vindictæ demonſtrationem aduerſus gentes de quibus illic Eſaias loquitur; tantam rerum omnium perturbationem & cõfuſionem; tantam denique hominum triſtitiam dolorem & conflictationem; vt præ magnitudine mœroris atque doloris, & præ animi perturbatione & oppreſsione, videantur hominibus cœleſtia lumina reſtingui, ſtellæ de cœlo cadere, motusq; earum conturbari, denique cœlum complicari & recedere. nam quod hic dicitur complicari, in Apocalypſi dicitur, recedere vel abire. ſic enim habes in capite ſexto, *Et cœlum receſſit ſicut liber inuolutus.*

Antiquus mos Hebræorum ſcribendi.

Sed quo planior ſit & facilior ad intelligendum etiam non valde doctis ſimilitudo libri qua vſus eſt Eſaias, ſciendum eſt, apud Hebræos antiquitus libros ſacros diuerſa forma ſcribi & compingi ſolitos eſſe, quàm nunc ſcribuntur libri apud nos. Habebant enim vnum duntaxat folium ſiue membranam oblongam, quæ circa cylindrum ſiue axem ligneum circumplicabatur, inſtar lineæ telæ radio textorio circumuolutæ. Videbantur autem huiuſmodi libri aliquam

quam referre cœlorum ſimilitudinem & imaginem; quia ſicut axem illum ligneum qui in medio voluminis eſt, complures ipſius membranæ ceu ſpiræ, altera ſuper alteram ambiunt & circumdant: ita hanc terram quæ medium totius vniuerſi axem tenet, cœleſtes orbes alter ſuper alterum, collocati in orbem circumplectuntur. Verùm de teſtimonio Eſaiæ ſatis dictum ſit; cuius cùm tam multæ ac variæ ſint expoſitiones, nulla earum tamen mirificos iſtos aſtrorum Lectores, Interpretes, ac Vates adiuuat.

QVA RATIONE NONNVLLI ASTROlogi multa vera prædixerint.

CAPVT V.

RESTAT, quò tandem ad exitũm hæc diſputatio finemq; perducatur, vt cauſas aperiamus, cur permultæ quorundam Aſtrologorum prædictiones veræ fuerint, & cum rebus ipſis euentiſqúe mirabiliter congruentes. hanc enim quæſtionem, cum eius mentio ſupra incidiſſet, quo melius, commodiori ſcilicet loco tractari poſſet, in extremam hanc diſputationem reiecimus.

Licet igitur prædictiones Aſtrologorum plerumque falſas eſſe veriſimum ſit, & à nobis ſupra ſatis explicatum; quoniam tamen & olim proditum eſt à multis, hodieq; admodum vulgare eſt, quinetiam à grauibus viris, quibus non credere difficile eſt, pro certo traditur, fuiſſe quoſdam

quoſdam Aſtrologos quorum pleræque omnes prædictiones veræ fuerunt, vſu ipſo euentuqúe comproba æ, & vix vnum aut alterum de plurimis eorum prædictis ſecus euenit quàm illi prænunciauerant: age, nos etiam hoc credere in animum inducamus, ne peruulgatæ hominum opinioni quaſi publica fide & auctoritate confirmatæ, aduerſari videamur. Conceſſa autem veritate huiuſmodi prædictionum, cauſas eius diſquiramus, videlicet qua ratione certò potuerint ab Aſtrologis futura prænunciari, quę quod incerta ſunt, vim & notionem humanæ intelligentiæ fugiunt. Non longum faciam: equidem aſſeueranter affirmo, ſi quæ prædictiones Aſtrologorum veræ fuerunt, earum veritatem non ex veritate firmitateq; artis aſtromanticæ quam nullam eſſe ſatis ſuperqúe oſtenſum eſt, ſed alijs ex cauſis proficiſci: quæ autem ſint huiuſmodi cauſæ, breuibus explicabo.

33. *Quatuor cauſæ, propter quas nonnumquam prædicta Aſtrologorum vera cą-nunt.*

34. *Inſtinctu dæmonum agi nonnunquam homines ad diuinandum.*

PRIMA CAVSA. Veritas iſtarum prædictionum nonnunquam prouenit ex pacto & ſocietate quam iniuit Aſtrologus cum dęmone; vel ex occulto eius afflatu & inſtinctu, quo etiam neſcientes homines ad diuinandum inſti-

gan-

gantur. Hoc tradit Auguſtinus extremo cap. 7. libro 5. de Ciuitate DEI: Non immerito, inquit, creditur, cum Aſtrologi mirabiliter multa vera reſpondẽt, occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum, quorum cura eſt has falſas & noxias opiniones de aſtralibus fatis, inſerere humanis mentibus atque firmare, non horoſcopi notati & inſpecti aliqua arte, quæ nulla eſt. Sic Auguſtinus.

35. *Quot modis Dæmon futura, aut ipſe præſentire, aut homini præmonſtrare ſoleat.*

DAEMON autem ſuggerit homini quod ab eo diuinetur, vel palàm ſe oculis eius aſpectabilem & conſpicuum offerens, eumqúe futura humanis verbis prædocens: vel formatis in aëre vocibus præſignificantibus futura, citra vllam corporis ſpeciem & figuram: vel immiſſa ſcriptura aliqua quæ futurarum rerum prædictiones contineat: vel dormienti per ſomnia aut vigilanti afficiendo & commouendo phantaſiam, fingendoq; phantaſmata idoneè ad repręſentandum id quod diuinandum eſt, atque incitando hominem ad prædicendum id quod repræſentant phantaſmata. Scire autem poteſt dæmon futura quæ prædocet hominem, reuelatione Dei per bonos Angelos ei facta: nonnunquam enim Deus ad agendum aliquid vtitur dæmonum miniſterio. Solet etiam dæmon prænunciare homini futura quæ ipſemet poſtea facturus eſt: ſolet ob incomparabilem ſui motus celeri-

celeritatem quæ in longinquis locis remotisq; mundi regionibus geruntur, ea ad homines qui longissimè absunt deferre. Potest item dæmon ex clandestinis consilijs, verbis, scriptis, ex signis quæ in corpore tã exterius quàm interius apparent, occultas hominum cogitationes & deliberationes tam præsentes quàm futuras, solertissimè coniectando, cognitas habere. Idemque conijcit ex præparatione causarum aliarumque rerum quæ ad gerendum aliquid debent concurrere. Denique, ob incredibilem subtilitatem & solertiam mentis, ob tantam tot millium annorum experientiam, propter perfectam rerum omnium naturalium absolutamque scientiam; callidissimus atque sagacissimus est ad præsentiendum & prænoscendum futura.

Augustinus. Hoc ipsum quod hîc docuimus, quia enucleate aperteq; tradit Augustinus in libro 2. de Genesi ad literam, capite 17. libet verba eius adscribere, De fatis, inquit, syderum qualeslibet eorum argutias, & quasi de matheſi documentorum experimenta, quæ illi Apotelesmata vocant, omnino à nostræ fidei sanitate respuamus. Talibus enim disputationibus etiam orãdi causas nobis auferre conantur, & impia peruersitate malis factis quæ rectissimè reprehenduntur, ingerunt, accusandum potius Deum auctorem syderum, quàm hominum scelera. Ideoque fatendum est, quando ab istis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cum ad

deci-

decipiendos homines fit, ſpirituum ſeductorum operatio eſt: quibus quædam vera de temporalibus rebus noſſe permittitur, partim quia ſubtilioris ſenſus acumine, partim quia corporibus ſubtilioribus vigent, partim experientia callidiore propter magnam longitudinem vitæ, partim à ſanctis Angelis, quod ipſi ab omnipotente Deo diſcunt etiam iuſſu eius ſibi reuelantibus, qui merita humana occultiſsimæ iuſtitiæ ſinceritate diſtribuit. Aliquando autem ijdem nefandi ſpiritus etiam quę ipſi facturi ſunt, velut diuinando prædicunt. Quapropter bono Chriſtiano, ſiue Mathematici, ſiue quilibet impiè diuinantium, maximè dicentes vera cauendi ſunt, ne conſortio dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam ſocietatis irretiant. Hactenus ſunt Auguſtini verba.

36. *Quot modis & quàm grauiter peccent, qui Dæmonum vel iſtorum Aſtrologorum opera vtuntur ad diuinandum.*

Ceterum, grauiſsimo ſe obſtringunt ſcelere, quicumque cupidi futura noſcendi conſulunt dæmones, vel Aſtrologos dæmonum opera vtentes ad diuinandum. Multis autem modis in eo ipſo peccari poteſt: primò ſi quis conſulat dæmonem de futuris, vel dæmonis diſcipulum Aſtrologum, ratus eſſe dæmoni futura omnia exploratè percepta. hoc enim cum vnius Dei proprium ſit noſſe futura, ſi quis eandem cognitionem etiam dæmoni tribueret, impietatis

tis & idololatriæ crimen esset. Deinde, si crimini vertitur cum excommunicato ab Ecclesia communionem & societatem habere, quantum crimen erit cum diabolo acerrimo Dei & Ecclesiæ inimico & implacabili hominum hoste, pacto & societate coniunctum esse? & quem Deus ab omni societate fidelium ablegauit ad inferas & tartareas sedes, æterniſqúe supplicijs mancipauit, eo & amico, & magistro atque doctore vti velle? Postea, qui dæmonis familiaritate vtitur in magnum certumqúe periculum animam suam obijcit, vtpote quam dæmon eiusmodi prædictionum illecebris circumuenire ac perdere vehementer cupit. Peccat etiam grauissimè, quisquis Astrologos consulit, quo per illos aliorum hominum occulta peccata cognoscat. His accedit, immane flagitium esse, propterea dæmonem vel Astrologum consulere, vt eorum consilio vel auxilio magnum aliquod scelus perpetrari queat.

37. *Istiusmodi Astrologos ferè improbos & flagitiosos esse.*

ISTOS autem veridicos, vt ferunt, Astrologos dæmonum esse familiares & discipulos, multa nec obscura sunt indicia: Primò, improbitas morum vitæq; impuritas & sordes: Tum, contemptus omnium quæ ad Christianæ disciplinæ ac pietatis cultum exercitationemqúe pertinent: Postea, odisse lucem, fugitare conspectum congressumq; hominum, rarò versari in

in publico, ferè in obscuro & abdito, proculqúe arbitris viuere: Ad hoc, de ipsorum fide ac religione, mala, nec sanè immerito ac temerè, hominum existimatio: Denique multi de istis capti à censoribus fidei nostræ, quos Inquisitores vocant, vel vltro vel coacti, habita scilicet quæstione admotisq; cruciatibus, suam cum dæmone societatem & familiaritatem confessi sunt. verùm de prima causa satis.

SECVNDA CAVSA. Astrologos diuinare futura, nonnunquam accidit ex occulta diuinæ prudentiæ dispositione quæ, vt in 4. & 7. libro Confessionum inquit Augustinus, cæcas & improbas mentes consultorum aliquoties ignoto quodam instinctu sic agitat, vt nescientes proferant, quæ consulentes vel ex eorum meritis vel ex abysso iusti iudicij Dei oporteat audire. *Augustinus.*

38. *De vsu sortium apud Antiquos ad prænoscenda futura.*

HVC referre etiam conuenit sortes antiquis vsitatas, quando videlicet versibus alicuius poëtæ sortitò acceptis, quid eis futurum portenderetur, inquirebant: quo modo nonnunquam contingebant illis carmina vel præsentibus, vel futuris negotijs mirè congruentia: velut Alexandrò Seuero etiamnum adolescenti, nec imperium speranti, dum Virgilianas sortes scrutatur, versus ex libro Æneidos 6. exiêre, qui futurum illi imperium præsignificabant his verbis,

Tu regere imperio populos Romane memento:
Hæ tibi erunt artes, pacisq; imponere morem;
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Nec mirum ita euenire, Deo volente ideoque mentem mouente, linguam moderante, & ſortes aptè ad id quod præſignificari vult miſcente ac temperante: qui non ſolùm ex ore Balaam arioli & falſi vatis, ſed etiam ex ore aſinæ qua ille ariolus vehebatur, veriſsima futurorum edidit oracula.

Numer. 23. & 24.

39. *Permiſſu* DEI, *nimis cupidos ſciendi futura, laqueis dæmonum irretiri, & variis ac pernitioſis erroribus implicari.*

NON eſt hoc loco in præteritis relinquendum, quod valde ſapienter & ſalutariter monet Auguſtinus in libro 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 22. & 23. ait enim permiſſu Dei nonnunquam vſu venire, vt dæmones vel per ipſos etiam homines multa vera prædicant, quod nonnulli eiuſmodi diuinationum, etiam cum ſuperſtitione atque impietate nimium ſtudioſi atque curioſi, noxia perſuaſione ſeducti, in maiora & magis execranda flagitia, ita ſe derelinqui à Deo promeriti præcedentibus ſuis peccatis, prolabantur. Sed præſtat hic Auguſtini verba ſubſcribere. Hinc fit, inquit, vt occulto quodam iudicio diuino cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi, pro meritis voluptatum ſuarum illudentibus eos atque decipientibus præuaricatoribus Angelis; quibus

Auguſtinus.

Valde obſeruanda beati Auguſtini ſententia.

bus ista pars mundi infima secundum pulcherrimum ordinem rerum, diuinæ prouidentiæ lege subiecta est. Quibus illusionibus & deceptionibus euenit, vt istis superstitiosis & pernitiosis diuinationum generibus, multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant quàm dicunt: multaque obseruantibus secundum obseruationes suas eueniant, quibus implicati curiosiores fiant & se se magis magisq; inserant multiplicibus laqueis pniciosissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ salubriter diuina Scriptura non tacuit, neque ab ea sic deterruit animam, vt propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à professoribus eorum, *Sed etiam si dixerint vobis*, inquit, *& ita euenerit, ne credatis eis.* Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli regi vera prænunciauit, propterea talia sacrilegia quibus imago illa præsentata est minus execranda sunt: aut quia in Actibus Apostolorum ventriloqua fœmina verum testimonium perhibuit Apostolis Domini; ideo Paulus Apostolus pepercit illi spiritui, ac non potius illius dæmonij correptione atque exclusione mundauit. Omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadã pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda & fugienda Christiano. Sic Augustinus. His causis adijciunt quidam alias duas, minus fortasse probabiles, non minus tamen frequentes vsuque compertas.

Deuter. 13. 1. *Reg.* 28.

Actor. 16.

40. *Multos diuinare futura, magis ex prudentia & vsu rerum humanarum, quàm ex arte astrologica.*

TERTIA CAVSA. Non pauci diuinant non tam peritia artis astromanticę quę nulla est, quàm singulari quadam sagacis ingenij solertia, & multiplici humanarum rerum peritia vsuq;, & exquisita eorum hominum quibus diuinatio fit, negotiorum, morum, studiorum, & ingeniorum obseruatione atque notitia. Etenim quidam sunt qui perspectis quorundam hominum temperamẽtis & affectionibus corporum, studijs item, exercitationibus, institutis, familiaritatibus, denique virtutibus aut vitijs, multa euentura eis prouident, ipsisque magna asseueratione & auctoritate prænunciant ac plerumque diuinant. Ad hoc genus diuinationum pertinet, si quis principem tyrannicè tractantem ciues, & crudeli dominatu prementem, à suis eum occisum iri prædixerit; hominemqúe frequentissimum in furtis & rapinis, suspendio periturum; religionis contemptorem, falsæqúe doctrinæ proseminatorem contra veritatem fidei & Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem, ignis supplicio mulctatum iri. Hoc genere diuinationis vsus est Annibal qui perspecta imperitia atque temeritate Terentij Varronis & C. Flamminij Romanorum Cos. & Imperatorum, Afris victoriam, Romanis insignem cladem valde fidenter & asseueranter prædixit; eam-

Diuinatio Annibalis.

eamque prædictionem mox certaminis exitus, plurimis Romanorū millibus interfectis, comprobauit.

41. *Nimiam credulitatem ac leuitatem consulentium Astrologos, interdum conducere vt eorum prædicta vera cadant.*

QVARTA CAVSA. Non raro Astrologorum diuinatio vera exiſtit ob ſtultam conſulentium credulitatem: multi namque facillime credunt quæ dicuntur ipſis de rebus quas vel maximè optant, vel timent vehementer atque perhorreſcunt. Solet enim eiuſmodi credulitas inſtillare animis cõſulentium magnam ſpem rei bonæ à diuinis promiſſæ, vel ingentem metum injcere triſtium & acerborum caſuum calamitatisq; ab illis prænunciatæ. Hi autem duo affectus animi, cùm potentiſsimi ſint ad afficiendum & commouendum hominem, crebro efficiunt, certè multum proficiunt, vt humana negotia ad prædictos fines perducantur. Etenim vehemens quædam ſpes ardensq; deſiderium excitant atque incitant homines vt ad bona ipſis promiſſa ſedulo ſe comparent, & omnibus ſuis opibus viribusq; contendant: quo fit, vt ob eam rem plerumque quò intendunt, optatorum ſuorum & alienorum promiſſorum compotes facti, perueniant. Ex aduerſo autem metus, pauor, horrorq; prædictorum malorum atque calamitatum, ſæpè faciunt homines cunctanter ac dubitanter aggredi negotia, timide ac negligenter perſequi, & quocumque obiecto impe-

dimento turpiter & infœliciter deſerere, eaqúe ratione in prænunciata ipſis mala delabi. Luculenta eius rei exempla reperimus in Romano exercitu, cui (vt ſcribit Liuius) cum auguria & auſpicia ſecreto inſpecta infauſtum belli exitum minarentur, auſpices & duces ne militem in arma euntem funeſto nuncio conſternarent, verſis in contrariam partem auſpicijs, omnia fauſta & triumphalia portendi & à Dijs promitti mentiti ſunt. quo mendacio vtiliter decepti milites, alacriter prælium inierunt, fortiter pugnarunt, & hoſtes quos auguria victores fore præmonſtrabant, fœliciter vicerunt. Contra verò cum Nicias dux claſsis Athenienſium, incognita ſibi lunæ defectione portendi ratus claſsis naufragium, ſi ea nocte portum egrederetur, cum ſtulto metu occupatus oppreſſusqúe diſceſſum differt; à Siracuſanis cum tota claſſe captus eſt.

T. Liuius.

Nicia ducis Athenienſium exitialis inſcitia.

Verùm ne diſceptatio hæc longius quàm initio promiſimus, & quàm fert inſtituti noſtri ratio producatur, hîc finem diſputandi de diuinatione aſtrologica facie-mus.

FINIS.

Libros hos tres R. P. Benedicti Pererij aduersus fallaces & superstitiosas artes, &c. non modò propter breuitatem, perspicuitatem, elegantiam, verùm etiam propter orthodoxam & accuratam pulcherrimarum & vtilissimarum quæstionum explicationem, tùm luce tùm laude dignissimos iudico.

ALBERTVS HVNGERVS, S. Theol. D. Professor, & Procancellarius, atque Theologici Collegij pro tempore Decanus in Catholica Academia Ingolstadiana.

ERRATA.

PAg. 7. Vers. 13. *hoc, lege, hos.* Vers. 24. *ciere, l. ciet. pag.* 10. V. 20. *Pessimunte, l. Pessinunte. p.* 46. V. 6. *possent, l. possunt. p.* 47. V. 11. *adoratus, l. odoratu. pag.* 53. V. 15. *alterum, l. alteram. p.* 71. V. 1. *inferat, l. inferant. p.* 88. V. 5. *natua, l. natura. p.* 89. V. 24. *fumos, l. furnos. p.* 102. V. Vlt. *pradicat, l. pradicata. p.* 123. V. 9. *idem, l. item. p.* 143. V. 7. *diuersis, adde, modis. p.* 146. V. 5. *animam, l. animum. p.* 147. V. 7. *existimatorem, l. astimatorem. p.* 148. V. 16. *Auerroes, l. Auerroes. p.* 153. V. Vlt. *commoeut, l. commouent. pag.* 154. V. 11. *suspiciendam, l. suscipiendam.*

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM IN TRACTATU de Magia contentarum.

A.

ARchimedis ſphæra. fol. 18
Archimedis ſcientiæ potentia. 20
Actio Dæmonum eſt duplex. 33
Apollonij fabula leonis. 37
Aſtronomica Magia quid ſit. 55
Aurum chimicum non poteſt vendi pro vero. 78
Argentum viuum non eſt materia omnium metallorum ſicut nec ſulphur. 80
Authoris ſententia de auro alchimiſtico. 87
Animalia generari poſſunt ſolo calore ignis. 89
Auripigmentum eſt ſpecies veri auri. 90
Alchimiæ ars cur non videatur eſſe vera. 90
Alchimiæ vſus non eſt permittendus in Republica. 92
An aliquid primigeniæ materiæ hominis maneat per totam vitam. 228
Annibalis ſomnium de vaſtatione Italiæ. 137
Alexandri Magni ſomnium. 139
Animus noſter cur ſit habilior in ſomno ad percipiendas reuelationes diuinas. 146
Argumenta S. Scripturæ quibus aſtrologica diuinatio refellitur. 170

D. Augustini notabilis oratio in reconciliatione cum Ecclesia cuiusdam Mathematici. 177
Animaduersio in Petrum de Aliaco. 179
Argumentatio valida contra Astrologos. 181
Astrologorum prædictiones si essent veræ, essent odiosæ hominibus. 206
Astrologorum prædictiones cui generi hominum arrideant. 221
Astrologorum fundamenta. 222. 227, 232
Aristotelis sententiæ tollunt è medio Astromantiã. 218
B. Ambrosius comparat prædictiones astrologorum telæ araneæ. 231
Astra non esse certa signa rerum futurarum. 239
Annibalis diuinatio. 254
Auctoris sententia quomodo facta sit à Magis Pharaonis virgarum in serpentes mutatio. 121. 116
Amnes retrofluentes. 38

B.

Boëtij opera mira. 20
D. Basilij argumentatio contra Astrologos. 190

C.

Columba lignea volans. 20
Caput æneum loquens. 20
Calor cœlestis & elementaris non differunt specie. 88
Cham fuit idem qui Zoroastres. 94
Cassiani opinio de origine Magiæ. 96
Causæ quinq; cur dormientibus multa diuinitus reuelentur. 146.

Cauſæ quatuor cur diuina ſomnia ſint aliquando obſcura. 152
Caietani ſentẽtia aduerſus p̃dictiones aſtrologorũ. 175
Catonis dictum in Aſtrologos. 216

D.

Dæmones cur ſimulent animas demortuorum. 70
Deus cur ſit paſſus prodigia fieri à Magis. 121
Dæmonum natura & munus ſecundum Platonẽ. 131
Dæmones cur olim non doctis ſed imperitis ſomnia dederint. 150
Dæmonum aſtutia in dandis ſomnijs. 151
Deus varijs modis afficit homines per ſomnia. 143. 144
Decreta contra Aſtrologos iudiciarios. 169
Dilemma aliquod contra Aſtrologos. 206

E.

Epicureorum opinio de ſomnijs. 126

G.

D. Gregorius ſex ſomniorum cauſas tradit. 135
Eiuſdem memorabilis ſententia de ſomnijs. 142

H.

Hiſtoria Iannis & Mambris Magorum Pharaonis. 112
Homeri cõmentum p̃ diſtinctione verorũ ſomniorũ. 130
Hebræorum antiquus mos ſcribendi. 247

L.

Lamiarum ingenium & libido. 11
Liberi arbitrij vſus nunquã eſt perfectus in ſomno. 158

M.

Magorum figmenta. 8
Magorum opera varia. 5

Magi Persarum quales. 18
Magia naturalis. 14
Magia naturalis triplex. 14
Magi quomodo dæmonibus imperent. 28
Magiæ variæ species. 53.71
Magiæ vsus. 107
Magia vetita diuinis legibus. 107
Magiæ vnde tanta authoritas. 102
Magiæ origo prima à Dæmone. 97
Miraculum quid sit. 48
Miraculorum verorum tres gradus. 49
Miraculorum verorum quinq; differentiæ à falsis & simulatis. 50
Mortuos nulla vi magica posse reuiuiscere. 13

N.

Necromantiæ vsus antiquus. 65
Necromantiæ confutatio. 67
Niciæ ducis Athenienſium inſcitia exitialis. 256

O.

Opera quæ possunt dæmones facere. 34
Opiniones tres de serpentibus Magorum Pharaonis. 114 115. 116.
Oenomaus confutator oraculorum Apollinis. 172
Origenis disputatio contra Astrologos. 178

P.

Porphyrij dubitationes nouem, quomodo Magi dæmones inuocent. 29
Philonis sententia de orgine Magiæ. 93
Porphyrius quid senserit de veritate somniorum. 133

Pythagoræ mos & consuetudo. 134
Petrus Aliacus plurimùm peccauit contra chronographiam. 214
Professores diuinandi futura, aliquando fuisse eiectos è ciuitatibus. 221

R.

Remora piscis. 16
Refellitur ars Cabalistica tanquam inanis. 58
Rationes quinq; pro Alchimistis. 84
Religio & disciplina Christi tenebras Magicarum artium è mundo discussit. 102
Ratio cognoscendi somnia duplex. 141
Ratio quædam contra Astromantiam. 173

S.

Salomonis Magia naturalis. 21
Statuæ per se incedentes. 35
Statuæ loquentes more humano. 36
Samuel an fuerit verus qui per Phytonissam repræsentatus est Sauli. 62
Smerdes Magus inuasit regnum Persarum. 74
Sulphur non est materia metallorum omnium. 80
Somnia omnia esse vera Stoicorum & Pythagoræ opinio. 125
Sententia quædam vera de somnijs. 127
Somniorum causæ. 127. 136. 138. 141
Sententiæ variæ de causis somniorum. 130
Somnium Cyri. 131
Synesius mira sed falsa de spiritu phãtastico tradit. 133

Somnio-

Somniorum dæmonis duo genera. 139
Somnia quædã impijs hominibus data sunt à Deo. 151
Somniorum quatuor genera sine vitio possunt obseruari. 153
Somnium Salomonis cur illi fuerit datum. 161

T.

B. Thomæ sententia de operibus Magorum. 11
B. Thomæ argumentum contra Necromantiam. 67
Testimonia scripturæ de somnijs. 128
B. Tertulliani sententia de Necromantia. 69

V.

Voces quomodo possint esse causæ efficientes rerum aliquarum. 25
Vtilitates artis Chimicæ. 82
Vanitas maior eoum qui obseruant somnia quàm astra. 155
Vsus rationis sæpe est liber in somno. 158
Vita hominis est instabilis, qui non secundùm rationem sed sensum viuit. 206

X.

Xenophanis & Epicuræorum opinio de somnijs. 126

Z.

Zoroastres Magiæ parens. 93
Zodiacus apud Astrologos duplex. 189